

~~K.H.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
V. 125. —
SIGNAT. ~~clotus~~ CCCXIII.

H 8.

Vibis, Pannonum, ingenio,
tradere;

atque Bibliothecae Cassianae
adnumerare
voluit.

Στέφανος Ιερόνυμος: 32]
Leditio Pannonum Honakeri.
A. S. C.

D. CHRISTIANI VATERI,
PATHOL. P. P. ET PHYS. PROVINC. SAXON.
NEC NON CONSIL. ET ARCHIATRI
ANHALTINI

INSTITVTIONES MEDICAE

IN GRATIAM ET VSVM
STVDIOSAE JVVENTVTIS
SVCCINCTIS APHORISMIS
COMPREHENSAE
ET
EXPERIMENTIS HODIERNIS PHYSICIS
MECHANICIS, ANATOMICIS ET
CHIMICIS
ILLVSTRATAE AC CONFIRMATAE

VITEMBERGAE
LITERIS AVGVSTI KOPERSTEINII.
M DCC XXII.

D CHRISTIANI VATERI
PONTIFICIS ET IMPERATORIS
ARCHIATRI
AUGUSTINI

INSTITUTIONES MEDICAE

STADIGS ET UNIVERSITATIS
SACRIFICIAE AUTHORIS

EXTRIMENTIS HODIE RICHTYSCIS
MICHINNEIS ANNOTATIS ET

VAGAS ET ILLIBERATIONE

DISCERNENDIS QVICQUID EST

IN MEDICO ET CHIRURGICO

ARTIBUS ET IN PRACTICA

DE PRACTICO ET PRACTICO

DE PRACTICO ET PRACTICO

DE PRACTICO ET PRACTICO

DE PRACTICO ET PRACTICO



LECTORI BENEVOLO S.

Vndamenta totius Artis Medicae per multos hactenus annos in Lctionibus et Dissertationibus tam publicis, quam privatis, a nobis tradita, nunc modernis inventis et experimentis magis magisque, uti dies diem docet, confirmata, et succinctis aphorismis comprehensa, in Compendium hoc redigere placuit, ut Discentibus imposterum canonis loco inservire queant. Ea enim omnino Compendiorum, uti in omnibus Scientiis, ita imprimis in Arte nostra Medica utilitas est et necessitas, ut a Discentibus, accedente imprimis Docentis explicatione et illustratione, facilius legantur, intelligantur et memoriae tradantur. Faxit porro Divinum Numen, ut omnes conatus nostri in ipsius gloriam, studiosae Juventutis commodum, & languentium salutem cedant.

A 2 INSTI-

**INSTITVTIONVM
MEDICARVM
PARS PRIMA PHYSIOLOGICA
QVAE AGIT
DE
NATVRA CORPORIS HVMANI
VIVENTIS ET SANI.**

PROLEGOMENA

**DE
NATVRA, ORTV ET PROGRESSV
TOTIVS ARTIS MEDICAE.**

THES. I.

Medicinae
Natura.

Medicina est Ars, corporis humani viventis naturam, structuram et temperiem integrum non solum conservandi, sed labefactatam quoque restituendi et restaurandi.

THES. II. Non immerito Ars dicitur, quoniam non in sola speculatione subsistit, uti scientiae, sed simul effectum, nimirum sanitatem hominis producit et efficit.

Ejus Partes.

THES. III. Constat igitur non solum partibus theoreticis et speculativis, sed etiam practicis. Illae sunt Physiologia, Pathologia et Semiotica. Hae vero Hygiene et Therapia.

Physiologia.

THES. IV. Physiologia est prima et praecipua Medicinae pars theoretica, in qua natura et constitutio corporis humani viventis, quoad partes omnes, tam solidas, quam fluidas, earundemque functiones seu actiones naturales docetur et explicatur.

THES.

THES. V. In Parte vero Pathologica earundem partium solidarum et fluidarum constitutio praeternaturalis et morbosa, ejusdemque causae in genere docentur et explicantur, ut morbi deinde et causae eorum speciales in Pathologia speciali eo facilius et rectius intelligi queant.

THES. VI. Ita in Parte Semiotica omnium morborum et causarum morbificantium signa et indicia tam diagnostica, communia, propriissima, quam prognostica in genere demonstrantur, atque sic via ad eorum species in quibusunque morbis et causis morbificantibus cognoscendas paratur.

THES. VII. Atque hae erant Partes Medicinae theoreticae; quas sequuntur Practicae, et quidem primum Hygiene, in qua docetur, quomodo constitutio illa naturalis partium, earundemque functiones naturales conservari possint et debeant.

THES. VIII. Quoniam vero constitutio illa naturalis, sive sanitas, propter causas innumeras per omnem vitam non facile in integritate conservari potest, opus quoque erat parte Medicinae Therapeutica, in qua docetur, quomodo sanitas labefactata, quantum possibile, debitibus remediis restitui queat.

THES. IX. His partibus generalioribus inserviunt adhuc aliae partes subalternae, nimurum Anatomia, Botanica, Chymia, Pharmacia et Chirurgia.

THES. X. Anatome docet, quomodo partes corporis humani artificiose dissecari, atque sic earum constitutio et textura tam naturalis, quam praeternaturalis, eo melius demonstrari et explicari possit. Ita et Physiologiae et Pathologiae illustrandae maxime inservit.

THES. XI. Sic Botanica vegetabilium notitiam quo-

Botanica.

ad formam, naturam et vires seu virtutes tradit, eoque ipso hygieni et therapiae inservit.

Chymia.

THES. XII. *Chymia* docet, quomodo corpora naturalia quaecunque, mineralia, vegetabilia et animalia mediante igne artificiose resolvi et componi, eoque ipso varia medicamenta, sanitati corporis humani conservandae et restituendae uecessaria, praeparari quaent.

Pharmaciaz.

THES. XIII. *Pharmacia* vero medicamenta non solum mediante igne, sed aliis quoque artibus et modis praeparare, conservare et in usum medicum accommodare docet. Sic utraque haec et Therapiae et Hygieni inservit.

Chirurgia.

THES. XIV. Tandem *Chirurgia* est quoque Pars Medicinae subalterna et practica, in qua docetur, quomodo morbi corporis humani manuum opera curari possunt et debent.

Origo Me-
dicinae
Universalis
et Particula-
ris.

THES. XV. Hanc nobilissimam Artem debemus pri-mario Deo, rerum omnium Autori et Creatori, secun-dario vero Hominibus Aegyptiis, Graecis, Latinis et Germanis, utpote qui mediante ratione sua et experien-tia ejusdem fundamenta invenerunt, et in Artis formam redegerunt. De quibus prolixius legi possunt *Sennertus in Instit. Medic. Conringius Introduct. in Art. Med. Langius in Oper. Med. et alii.*

Media in-
ventionis.

THES. XVI. Media, quibus isti Artem hanc inven-erunt, erant, uti diximus Ratio et Experientia : Illa est unius ex alio collectio, inventio et secundum ratio-nem debita applicatio. Haec vero est unius ejusdem que rei cerebra observatio, et secundum illas observatio-nes prudens applicatio.

Sectae Me-
dicorum
unde ortae.

THES. XVII. Quoniam autem in invenienda et ex-colenda arte alii tantum Experientia, alii vero Ratione et Experientia simul usi sunt, hinc statim ortae sunt duae Sectae docentium; nimirum Empyrici et Dogmatici.

THES.

THES. XVIII. Primi fuerunt Empyrici, qui remedia ad morbos quoescunque curandos necessaria, sine accurate disquisitione et deliberatione, tantum per frequentes observationes colligebant, annotabant, et singulis individuis, sine discrimine diversorum subjectorum, causarum aliarumque circumstantiarum, applicabant.

Secta Empyrica.

THES. XIX. Dogmatici vero adhibita simul ratione remedia talia non solum colligebant, sed quoque nova inveniebant, eademque secundum diversas morborum causas, nec non aegrotantium diversam naturam, temperamentum, aetatem, sexum, aliasque circumstantias variantes mutabant et applicabant.

Dogmatica.

THES. XX. Hi tamen Dogmatici rursus non una ea- demque, sed diversa admodum Methodo et principiis diversis, tam in docendo, quam in curando usi sunt, unde rursus ortae sunt Secta Methodica, Hippocratica, Galenica, Hermetica et Paracelsica; ab Autoribus et Cultoribus suis ita denominatae.

Sectae subalternae.

THES. XXI. Sectae Dogmaticae Autor primus fuit Methodica. Themison Laodiceus, qui omnium morborum causas in laxo et stricto partium modo excedente, modo deficiente, quaerebat, et secundum illa etiam remedia sua dirigebat. Quam methodum omnium facilissimam esse putabat, et secundum eam totam Artem intra sex menses addisci posse docebat.

THES. XXII. Eidem vero contradicebat Hippocra- tica. Hippocraticus Cous, qui quadringenta et quinquaginta annos ante Christum natum Artem hanc tum temporis mere empyricam secundum rationem et experientiam, ex fundamentis Philosophiae Aristotelicae excoluit, docuit, et in Disciplinam rationalem redegit.

THES. XXIII. Hunc fecutus est Claudio Galenus, Galenica. qui seculo secundo post Christum natus, fundamenta et dogma-

dogmata Hippocratis magis magisque excoluit, auxit, in specie quaternionem humorum in sangvine, pituitam sc. Bilem, Atram Bilem et Melancholiam, tanquam morborum causas praecipuas, excogitavit, et juxta eosdem remedia potissimum e regno vegetabili elegit.

Paracelsica.

THES. XXIV. Atque haec Doctrina *Hippocratico-Galenica* diu duravit inter Medicos Arabes, Graecos et Latinos sequentes, donec circa finem seculi decimi sexti a Christo nato Theophrastus Paracelsus ab Hohenheim, in Helvetia natus, fundamentis et principiis Aristotelicis, Hippocraticis et Galenicis non contentus, corpora naturalia mediante igne resolvere, examinare, eoque ipso novas plane morborum causas, novaque remedia, Chymica dicta, invenit, iisdemque morbos omnes curare suscepit. Quam methodum posthinc plures cum magno applausu fecuti sunt Doctores, unde orta est Secta Paracelsica, vel Hermetica, ab antiquissimo Philosopho Hermete Trismegisto, item Spagyrica, a σπαγγεῖν, separare, Hippocratico-Sagyrica ita dicta.

Sectae re-
centiores.

THES. XXV. Posthinc aliae adhuc Sectae speciales eodem et sequente seculo, non quidem a prioribus plane diversae, tamen ob dogmata specialia notabiles, ortae sunt; ut Cartesiana, Mechanica, Takeniana, Sylviana, Helmontiana, Kircheriana, etc. ab Autoribus suis ita dictae.

Cartesiana.

THES. XXVI. Cartesiana actiones omnes naturales et praeter naturales, consequenter morbos, a certa figura, situ et motu partium derivat, ex eodem fundamento medicamentorum facultates explicat, et morbis curandis applicat. Quo etiam pertinet Secta Mechanica hodierna, quae omnes functiones corporis humani, uti naturales, ita etiam praeter naturales, e Mechanismo partium solidarum derivat, et omnem curam eo dirigendam docet.

THES.

THES. XXVII. Takeniana plerosque morbos e principio salino, acido et alcalico, vel mixto deducit, et secundum eadem principia medicamenta contraria iisdem opponere docet.

THES. XXVIII. Sylviana, a Francisco de le Boe Sylviana.
vio, Medico Batavo, denominata, eadem principia morborum quidem servat, primario tamen in humore, sic dicto triumvirali, scilicet saliva oris et ventriculi, nec non bile et succo Pancreatico quaerit, ex iisdem succis plerosque morbos derivat, et secundum eadem curas morborum instituere docet.

THES. XXIX. Ita Helmontius, Medicus Romanus, Helmontiana.
eadem quoque principia Chymica retinet, sed praeterea multos morbos ex Archaeo errante, tristi, vel furioso, et indignabundo derivat, ejusdemque rationem in cura habendam esse docet, neglecta humorum Galenico-
rum quaternione.

THES. XXX. Athanasius vero Kircherus morbos Kircheriana.
multos eorundemque causas a vermis et verminosis seminibus derivabat, et ad eadem curas dirigendas esse docebat.

THES. XXXI. Hodie floret Secta ex omnibus mixta, Mixta.
imprimis Mechanica et Chymica, uti e Pathologia clarius patebit.

THES. XXXII. Objectum Artis nostrae quod attinet, circa quod versatur, est corpus humanum vivum, Medicinæ.
sive sanum, sive morbosum, minus vero mortuum, nisi respectu Anatomiae, quae non solum corpora hominum, sed quoque brutorum dissecat, et in illis partium omnium statum tam naturalem, quam praeternatural-
lem, disquirit.

THES. XXXIII. Finis enim ejusdem primarius et Finis.
unicus est sanitas hominis viventis, quam praesentem
B conser-

conservare, labefactatam vero restaurare, licet eundem, tanquam externum, non semper impetrare queat; sufficit tamen, quod remedia in promptu habeat, quibus, nisi alia obstant, impetrari potest.

Medicinae
Encomia.

THES. XXXIV. Exinde etiam non immerito Medicina dicitur Artium omnium *amplissima*, propter morborum, causarum morbificantium, nec non remediorum ingentem copiam et varietatem; Item *difficillima* ob easdem rationes, nec non causarum et morborum obscuritates, complicationes, remediorum difficiles inventiones, praeparationes et applicationes. *Jucundissima* tamen & *nobilissima* propter objectum nobilissimum, finem *jucundissimum*, et media *jucundissima*. Indeque *prae omnibus aliis Artibus summe necessaria*; quoniam sine Medicina nulla sanitas, sine sanitate nulla vita, nulla salus temporaria et mundana juvat.

PHYSIOLOGIAE

SECTIO I.

DE PARTIBVS HOMINIS.

CAP. I.

DE ANIMA S. MENTE HVMANA.

THES. I.

Anima hu-
mana.

QVONIAM homo animal omnium nobilissimum et perfectissimum non solum vivere, nutriti et augmentari, sed etiam exquisite sentire, intelligere et judicare debebat, praeter corpus organicum in creatione accepit animam immaterialem, substantiam vere spiritualem, primo hominum Adamo a Crea-

Creatore immediate inspiratam, quae nunc, vibenedictionis divinae, in omnes ejus posteros per generationem propagatur et multiplicatur.

THES. II. Animam hominis substantiam, eamque ^{Est Substan-} vere spiritualem et immaterialem esse, nemo facile ne-^{tia spiritua-}
gat, qui e Sacris novit, eandem per mortem a corpore
suo separatam aliquandiu seorsim existere, et omnibus
requisitis Spiritum gaudere.

THES. III. Propter essentiam enim hanc spiritualem
aque ac alii spiritus invisibilis, indivisibilis, impatibilis
et incorruptibilis est, licet corpori immersa et intime uni-
ta omnes ejus motiones percipiat, sentiat, et secundum
arbitrium suum dirigat.

THES. IV. Ideo etiam, corpori licet unita, nunquam ^{Semper ope-}
otiosa, sed potius operosa est: Cogitat in se non solum
de objectis praefentibus, sed etiam praeteritis et futu-
ris, de naturalibus et supernaturalibus; vera a falsis di-
stinguit, bona eligere et mala evitare docet, aliaque ad-
miranda excogitat et efficit, quae a nullo principio ma-
teriali expectari possunt.

TH. V. Sed prae aliis Spiritibus etiam hoc peculiare
acepit, quod non solum Adamo primum a Deo immedia-
te sit inspirata, sed corpori adeo intime unita et conjun-
cta, ut invito, et non nisi per mortem temporariam, pro-
pter lapsum protoplastorum, ab eodem separetur; quod
exinde cognoscitur, quando morbos, cruciatus, et tor-
menta corporis sui diutissime saepius percipit et tole-
rat, nec tamen, nisi eodem penitus destructo, secedit.

THES. VI. Deinde et hoc peculiare habet, quod, se-
cundus ac alii spiritus, per gratiam et benedictionem divinam
in generatione hominis in et cum corpore suo se multi-
plicare et propagare possit, uti suo loco pluribus demon-
strabitur. Confer. etiam *Physiologia nostra experimentalis*.

A Deo im-
mediate
Adamo in-
spirata
et corpori
suo intime
unita.

A Parenti-
bus in gene-
ratione mul-
tiplicata.

CAP. II.

DE PARTIBVS C. H. SOLIDIS.

THES. I.

C. H. est Ma
china hy-
draulico-
pneumatica.

Quemadmodum corpora animalium omnium nihil aliud sunt, quam machinae hydraulico-peumata-
cae, a Creatore omnipotentissimo admirando prorsus artificio fabrefactae, in quibus omnes eorum partes, so-
lidae a fluidis internis, pro diversa ipsarum conformati-
one, moventur et impelluntur, eoque ipso omnes functi-
ones suas vitales, genitales animalesque peragunt; Ita imprimis humanum longe majori et elegantiori organorum apparatu ea omnia superat.

Ejus partes
quae

THES. II. Ejus partes sunt et dicuntur, quae cum to-
ta illa machina cohaerent, communi cum ea vita fruun-
tur, et ad functiones usumque ejus faciunt; quo nomine omnino etiam pili, ungues, omnesque humores utiles, sangvis, lympha, bilis, semen, lac &c. ad partium clas-
sem pertinent, excrementa vero ab iisdem excluduntur.

Quotuplices

THES. III. Partes istae omnes, doctrinae gratia, pri-
mum ratione consistentiae in solidas et fluidas; illae rur-
sum in fibrofas, membranas, tendinas, vasculosas, mu-
sculosas, glandulosas, cartilaginosas et osseas distingvun-
tur. Deinde etiam ratione ipsarum functionum, qui-
bus inserviunt, aliae organicae, vel inorganicae, vitales,
genitales vel animales dicuntur.

Fibrofas.

THES. IV. Fibrae sunt ipsa stamina, in oculo mater-
no jam tum a prima conceptione existentia, filamenta
scilicet tenuissima et capillaria, porosa tamen, seu tubu-
losa et succi plena, e quibus omnes reliquae partes, et-
iam cartilaginosae et osseae formantur; uti de generati-
one patebit.

Membrano-
fas,

THES. V. Ita membranae et partes membranofae
omnes

omnes nihil aliud sunt, quam fibrae tales, retis instar, densissime contextae et consolidatae: quales sunt cuticula, cutis, meninges cerebri, periostium, peritonaeum, pleura, mesenterium et plures aliae.

THES. VI. Non minus Musculi a figura ita dicti, et Musculosae. partes musculosae omnes, sunt fasciculi fibrarum longitudinalium et transversalium, motionibus animalibus in specie destinati.

THES. VII. Ad membranas deinde pertinent omnia Vasculosae. vasa et partes vasculosae, arteriae, venae sanguiferae et aquiferae, nervi et ductus nervosi. Atque ex his vasis etiam conflata sunt omnia viscera vasculosa, pulmones, hepar, lien, renes etc.

THES. VIII. Glandulae vero dicuntur partes globosae, e vasorum istorum conglomeratione et conglobatione ad secretionem feri a sanguine factae. Distinguuntur ratione figurae et texturae in conglobatas, conglobatas, congregatas, vesiculares etc.

THES. IX. Porro cartilagine et partes cartilaginosae Cartilagine-
itidem e fibris, sed magis induratis, constant, et fabri- fat.
cae aurium, narium, costarum, vertebrarum, articulo-
rum aliorumque inserviunt.

THES. X. Ex ejusmodi fibris, adhuc magis induratis, Corneae et
constant etiam ungues corneae et ossa ipsa, munimento, osseae.
fulcimento et robori corporis destinatae.

THES. XI. Hae partes solidae porro, ratione usus et Alia partium
functionis, distinguuntur doctrinae gratia in organicas et harum divi-
et inorganicas, easq; vitales, genitales, animales et mixtas. sio.

THES. XII. Sic partes organicae corporis dicuntur, Organicae
quibus integra actio peragitur, ut cor, ventriculus, ute- quid?
rus, hepar &c. Inorganicae vero nullam talem actionem
perficiunt, sed organis componendis tantum inserviunt,
ut fibrae, membranae, cartilagine, ossa etc.

Vitales.

THES. XIII. Partes vitales illae dicuntur, quae in specie vitae et vitalibus functionibus inserviunt, sine quibus etiam vita consistere nequit: ut ventriculus, intestina, cor, pulmones, hepar, lien etc.

Genitales.

THES. XIV. Genitales partes non aequae ad vitam pertinent, indeque salva vita abesse possunt, generationi tamen et multiplicationi hominis inserviunt, ut sunt vasa spermatica, testes, uterus ovaria, et reliqua organa genitalia.

Animales.

THES. XV. Pariter partes animales tantum functionibus animalibus, nimirum sensibus et motionibus animalibus inserviunt, ut cerebrum, nervi, musculi, oculi, aures, nares.

Mixtae.

THES. XVI. Quaedam partes simul functionibus pluribus inserviunt, indeque dicuntur mixtae, ut cerebrum, medulla spinalis, nervi, duphragma. Quarum omnium textura, figura, situs et connexio cum aliis partibus ex anatomia discenda. Confer. etiam Physica nostra experimentalis.

CAP. III. DE PARTIBVS C. H. FLVIDIS.

THES. I.

Humores an
sint partes?

IN partibus ipsis solidis continentur quoque fluidae, seu humores, qui non minus ac solidae partium nomen merentur, quoniam cum toto cohaerent, communi vita fruuntur, et ad certos usus faciunt.

Quot sunt?

THES. II. Tales sunt chymus, chylus, sanguis, lympha, saliva, menstruum ventriculi, succus pancreaticus, bilis, succus nerveus, lac et semen.

Chymus.

THES. III. Chymus est succus ille pultaceus, e cibo et potu in ventriculo et intestinis per digestionem praeparatus.

Chylus.

THES. IV. Chylus vero est succus lacteus, salino-sulphu-

sulphureus, oleosus et dulcis, e chymo in intestinis ulte-
rius digesto secretus, et in vasa lactea transcolatus.

THES. V. E chylo isto, per vasa lactea et ductum Sangvissimis thoracium in sanguinem derivato, per novam digestio-
nem in sanguine ipso fit liquor purpureus, salino-sul-
phureus, oleosus, balsamicus et spirituosis, corporis nu-
tritioni et augmentationi destinatus, in quo vita ipsa
consistit.

THES. VI. E sanguine isto, per universum corpus circulante, rursus in visceribus glandulosis et vesiculari-
bus per digestionem separatur pars quaedam aquosa Lympha,
lympidissima, multis usibus destinata, quea in specie lym-
pha dicitur.

THES. VII. Lympae quoque species saliva est, a sali- Saliva.
endo ita dicta, quia in ore e variis tubulis, fonticuli instar,
exsilit, in glandulis salivalibus secrera, et ciborum dilui-
tioni, digestioni, nec non savori perficiendo destinata.

THES. VIII. Ejusdem conditionis est menstruum Ventriculi Liquor.
ventriculi, lympha sc. salina et spirituosa, ex arteriis et menstruum. Digestio.
glandulis ventriculi separata, et ciborum digestioni de-
stinata.

THES. IX. Nec non succus pancreaticus, lympha in Succus pan-
glandula pancreatico per digestionem secreta, collecta, et creatius.
per ductum peculiarem ad intestinum duodenum a-
mandata.

THES. X. Bilis vero est succus salino-sulphureus, O-Bilis.
leosus et balsamicus, amarus et flavescentes, e sanguine per
venas mesentericas redeunte, in liene praeparatus, in he-
pate vero secretus, hinc per peculiares ductus, partim ad
vesicam felleam, partim per ductum cholodochum ad
intestinum duodenum derivatus, et cum succo pancrea-
tico ulteriori chymi digestioni destinatus.

THES. XI. Lac est ipsissimus chylus in mammis a san- Lac.
gvine

gvine rursus secretus, in tubulos peculiares collectus, et infantis lactationi destinatus.

Semen masculinum.

THES. XII. Pariter semen est liquor albus balsamicus spirituofissimus, e sangvine arterioso optimo, flore quasi sangvinis, in testiculis maris adulti et sani, per digestionem secretus, deinde ad vesiculos seminales amandatus et asservatus.

Semen feminarum s. ova.

THES. XIII. Eiusmodi liquor spirituosus est semen faeminae, sed vesiculis, vel capsulis rotundis, ovorum instar, inclusus, unde etiam ovum muliebre vocatur, in quo insuper stamina, seu lineamenta fibrosa futuri hominis formandi, uti in avibus, alisque animalibus, jam continentur. Generantur haec ovula itidem in ovariis feminarum a prima earum nativitate, et cum aetate illarum ad pisi magnitudinem crescunt, ut ad receptionem conjugii masculini in copula conjugali apta fiant.

Spiritus materiales humorum quid sint?

et quotuplices.

THES. XIV. Humores isti omnes dicuntur liquores spirituosi a partibus volatilibus, salinis et sulphureis, nec non aereis, in iisdem contentis, a quibus etiam omnes motus suos intestinos et progressivos, digestiones, depuraciones et perfectiones habent. Vocantur alias partes istae spirituosa a Medicis spiritus, et quidem, quamdiu in sangvine et reliquis succis vitalibus continentur, vitales, in semine vero genitales, et in succo nervorum animales; idque non sine ratione, ad meliorem rei illustrationem, ne quis succos illos vitales mere aquosos et inertes esse, aut motum illorum intestinum et progressivum a solo partium solidarum impulsu dependere existimet.

Partes excrementiae.

THES. XV. Ad partium vero classem non pertinent liquores excrementitii, nimirum sudor, urina, sputum, mucus narium; illi enim tanquam inutiles fæces et recrementa in organis secretoriis, ad sangvinis et reliquorum humorum purificationem, separata e corpore sano eliminantur et rejiciuntur.

THES.

THES. XVI. Et quidem sudor est pars tenuior et fero- Sudor.
sa sanguinis, a motu ejusdem intestino rarefaciente in for-
ma vaporis per glandulas porosque cutis secreta, deinde
ob aerem ambientem in guttulas condensata. Qui ve-
ro vapores tenuiores statim in auras exhalant, dicuntur
udor. Vbi deficit sudor, ibi saepius sufficit tenuis udor.
Vid. *Doctrina de Transpiratione.*

THES. XVII. Ita urina s. lotium est liquor magis cras- Urina.
sus, falsus, tartareus, in renibus a sanguine arterioso, per
transcolationem sensim, inter circulandum, secretus, de-
inde per ureteres ad vesicam urinariam amandatus, ibi-
demque aliquandiu asservatus, donec vesica ab ejusdem
quantitate et acrimonia stimulata, eundem vi elasticita-
ris suae foras expellit et excludit. Vid. *Dissert. nostra*
de Sudore renali.

THES. XVIII. Non minus sputum oris est nihil ali- Sputum.
ud, quam recrementum viscidum crassum, vel etiam spu-
mosum, pro diversitate subjectorum plus minus impu-
rum, in glandulis faucium et lingvae, praecipue in mem-
brana sic dicta pituitaria, a Schneidero nostro inventa,
ad depurationem sanguinis secretum. Cavendum ta-
men, ne lympha salivalis, antea descripta, cum sputo
hoc confundatur.

THES. XIX. Pariter mucus narium est ejusmodi hu- Mucus na-
mor viscidus pituitosus, non quidem ex cerebro, uti vul- rium.
gus putat, sed in glandulis narium interioribus, ad depu-
rationem sanguinis ibidem secretus, quo ipso quidem ce-
rebro et capiti, imo toti corpori multum commodi af-
fertur.

CAP. IV.

DE

TEMPERAMENTO CORP. HVM.

C

THES.

Tempera-
mentum
quid?

Quatuorplex.

Tempera-
menta Ari-
stotelico-
rum
Calidum,
frigidum,
humidum
et siccum.

Chymico-
rum
Salinum et
sulphureum.

Humores isti omnes, e partibus licet admodum heterogeneis, nimirum aqueis, terreis, salinis et sulphureis, volatilibus et fixis, acidis, alcalicis et aliis compositi, tamen a Conditore optimo talem in statu fano harmoniam et proportionem inter se acceperunt, non quidem ad pondus, sed ad justitiam, ut neutra illarum qualitatum praeter justum excedat, vel deficiat, quin potius egregie inter se consentiant, coque ipso sanitati conservandae quam maxime inserviant. Quae proportio proinde Temperamentum, seu temperies Medicis dicitur.

TH. II. Habet tamen nihilo feciis ista temperies suos quoq; gradus et complicationes diversas, ita, ut confidente adhuc sanitate, in aliis excedant nonnihil partes aquae, in aliis terreae, salinae vel sulphureae, acidae vel alcaliae, volatiles vel fixae; unde tam variae ortae sunt differentiae Temperamentorum, ut aliud dicatur calidum, vel frigidum, humidum, vel siccum; item sangvineum, chole- ricum, phlegmaticum, vel melancholicum, salinum vel sulphureum, solare, mercuriale, martiale, saturninum etc.

THES. III. Ab antiquis Philosophis primum ratione quatuor elementorum, quae fingebant, dicebatur temperamentum calidum, ubi partes igneae; frigidum, ubi aereae; humidum, ubi aquae, et denique siccum, ubi terreae partes in corpore praevalere iipfis videbantur.

THES. IV. Postquam vero, loco illorum elementorum Aristotelicorum, tria principia chymica, salinum scilicet, sulphureum et mercuriale inveniebantur, secundum illa principia quoque temperamenta in salinum, ubi partes salinae, sive volatiles, sive fixae, sulphureum, ubi partes oleosae, resinosa et inflammabiles, et mercuriale, ubi partes volatiles aereae praevalere observabant, ab Inventoribus distinguebantur.

THES.

THES. V. Sed ante inventionem principiorum istorum chymicorum Galenus quoque, ejusdemque sectatores, in cuiuslibet hominis sanguine alios adhuc humanos peculiares fingeant, nimirum bilem, pituitam, et melancholiam, vel atram bilem; unde etiam temperamentum ab iisdem distinguebatur in sanguineum, cholericum, phlegmaticum, et melancholicum, vel ex his mixtum; quae distinctiones etiam adhuc, doctrinae gratia, in Scholis Medicis retinentur, et cum principiis modernis illustrantur.

THES. VI. Ita temperamentum sanguineum adhuc sanguineum dicitur, ubi partes in sanguine omnes, imprimis salinae et sulphureae, cum reliquis partibus terreis, aquosis, gelatinosis, ita temperatae sunt, ut optimam sanitatem efficiant, qualis hominibus in flore aetatis constitutis debetur.

THES. VII. Vbi vero partes salinae et sulphureae acres in sanguine excedunt, aquosae vero dulces deficiunt, dicitur temperamentum cholericum; quoniam humor biliarius, qui ex sanguine generatur, ex ejusmodi partibus salinis, amaris, oleosis maxime constat.

THES. VIII. Ita temperamentum pituitosum seu phlegmaticum dicitur, ubi partes in sanguine magis aquosae, mucofae, viscidiae abundant, salinae vero et sulphureae deficiunt.

THES. IX. Tandem melancholicum, sive atrabilarium temperamentum vocatur, ubi partes sulphureae et licum. salinae, austerae, acidae cum terreis excedunt, aquosae vero dulces et spirituosa deficiunt.

THES. X. Sed sciendum est, quod ejusmodi temperamentum raro seorsim et purae in ullo hominum, etiam si maxime sano, reperiantur, quin potius inter se miscentur; imo secundum aetas, regiones, aliasque circumstantias,

stantias, multoties mutantur; unde fiunt temperamenta sangvineo - cholERICA, vel sangvineo - phlegmatica, melancholica, gradibus quoque maxime distincta, quorum signa distinctiva in Semiotica habentur.

SECTIO II.

PHYSILOGIAE HVMANAЕ.

DE FVNCTIONIBVS SEV ACTIONIBVS IN CORPORE HUMANO NATURALIBVS.

CAP. I.

DE FVNCTIONIBVS VITALIBVS.

THES. I.

Functio
nes
quid?

E textura et structura partium solidarum mechanica elegantissima, nec non humoribus et spiritibus iisdem inclusis, fluunt omnes functiones corporis humani, quae nihil aliud sunt, quam motiones partium illarum solidarum et fluidarum, per quas homo vivit, nutritur, augmentatur, multiplicatur, sentit, et ab uno loco in alium se movet.

Quatuor
ces?

THES. II. Tales doctrinae gratia distingvuntur in quatuor classes, vitales, genitales, animales et rationales.

Vitales.

THES. III. Vitales ad vitam absolute necessariae sunt: (1) appetitus, (2) chylificatio et chyli transcolatio, (3) sangvisificatio, (4) sangvinis circulatio, (5) sanguinis depuratio et perfectio, (6) respiratio, et (7) nutritio corporis.

Appetitus
quid?

THES. IV. Appetitus est desiderium cibi et potus, ab orificio ventriculi, per menstruum ejusdem, irritatione

tione et vellicatione, indeque motu isto per nervos versus cerebrum propagato, ortum.

THES. V. Dicitur appetitus humanus merito desiderium ipsius animae humanae, quae, facta prius in ventriculo vellicatione naturali, indeque motu versus cerebrum propagato, ibidem excitata, de alimento acquirendo cogitat, cogitando desiderat, quaerit, eligit, quicquid ad vellicationis istius sedationem, corporisque nutritionem et refectionem facere potest. Bratis veras cogitatio et electio tribui non potest, quoniam mente cogitante destituunt; sufficit tamen illis, quod, facta irritatione ista in ventriculo et motu ad cerebrum continuato, lege mechanismi partium omnium admirabilis, ad cibum potumque aptum quaerendum et assumendum exciteantur et impellantur, licet nesciant, an et quid quaerant, appetant, vel edant.

THES. VI. Sedes ergo, sive subjectum appetitus radicale est quidem ventriculus, imprimis orificio ejus ^{Sedes sive subjectum,} finistrum, praeceteris partibus maxime nervosum et exquisite sensibile, sed formale potius est cerebrum ipsum, ubi demum desiderium et cogitatio de acquirendo alimento in mente formatur.

THES. VII. Causa enim proxima omnis appetitus est irritatio seu vellicatio orificii ventriculi, a menstruo ejus ^{Causa proxima.} falso acri, quo ipso spiritus animalis, in nervis habitans, statim versus cerebrum commovetur, atque sic mens hominis, ad quaerendum cibum potumve excitatur et commovetur.

THES. VIII. Pro diversitate vero causae irritantis ^{Causa famis et sitis} oritur modo famis, modo sitis; Fames sc. seu desiderium cibi fit, quando solum a menstruo isto irritatur ventriculi orificio, sine siccitate et falsedine, ubi vero hae

C 3 acce-

accedunt, oritur simul desiderium liquidi alicujus, seu potus, quo siccitas illa corrigitur et causa ista irritans diluitur.

Tempus famis et sitis. **THES. IX.** Idque potissimum contingit ventriculo vacuo, et bene constituto; Eodem vero cibo potuque repleto, irritatio illa statim cessat, quoniam menstruum irritans tum potius in cibum agit, eumque digerit.

Objecta. **THES. X.** Objecta ergo, quae appetuntur, sunt omnia alimenta et potulenta, quaecunque ad nutritiōnem corporis et sitis extinctionem facere queunt, sive e regno animali, sive vegetabili desumantur.

Chylificatio. **THES. XI.** Cibi assumpti deinde beneficio menstrui istius, nec non mediante calore motuque ventriculi et intestinorum digeruntur, et in succum primo pultaceum, deinde lacteum vertuntur, quae digestio proinde chymificatio et chylificatio appellatur.

Locus Chylificationis. **THES. XII.** Inchoatur ista digestio statim a sumpto cibo in ventriculo, et continuatur in intestinis, ubi adhuc novi succi, biliaris nimirum et pancreaticus accedunt, et digestionem promovent.

Ratio et modulus chylificationis. **THES. XIII.** Eaque digestio non in coctione, neque fermentatione, vel putrefactione chymica, sed in motu tantum intestino et blando consistit, qua partes heterogeneae ciborum ita atteruntur, attenuantur, subtile a crassioribus liberantur, donec massa tota in succum ejusmodi pultaceum et lacteum convertitur.

Causae. **THES. XIV.** Efficient et adjuvant istum motum digestorum (1) menstruum ventriculi salinum volatile, (2) saliva cum cibis deglutita, nec non succus biliarius et pancreaticus, (3) partes ipsorum ciborum heterogeneae, ad motum istum aptae, (4) calor ventriculi et viscerum adjacentium, (5) motus peristalticus ventriculi et intestinorum.

Tempus. **THES. XV.** Absolvitur quoque haec chylificatio pro divers-

diversitate illarum causarum, nec non ciborum digestorum, modo citius, modo tardius; communiter intra sex vel octo horas.

THES. XVI. Inter digestionem istam quoque partes subtiliores lacteae, fero dilutae, statim separantur a crassioribus inutilibus, et per intestinorum crustam interiorum villosam et bombycinam in vasa lactea, sub eadem crusta hiantia, filtrantur, filtratae mediante motu intestinorum peristaltico, per vasa lactea ad chyli clysternam, abhinc ulterius per duolum thoracicum ad venam axillarem sinistram propelluntur, ibidemque cum sangvine miscentur.

THES. XVII. Permissus ibidem cum sangvine chylus, ^{sangvifica-} cum eodem statim ulterius digeritur, movetur, et ^{tio.} in sangvinem successive mutatur.

THES. XVIII. Ratio igitur sanguificationis in nuda digestione consistit, qua partes chylofae motu intestino ^{Ejus ratio} et modus. ulterius attenuantur, cum sanguineis intimius miscentur, et sic eandem rubedinem induant.

THES. XIX. Eandem digestionem et transmutati- ^{Causae.} onem efficiunt et promovoent (1) motus cordis et arteriarum peristalticus, (2) motus ipsius sanguinis intestinus, et partibus ejus heterogeneis, salinis et sulphureis, volatileibus et fixis, indeque calor oriundus, (3) motus ejusdem circularis et progressivus, (4) motus per viscera, et ulterior a faecibus suis depuratio ac perfectio.

THES. XX. Locus ergo, vel organon sanguificationis adaequatum neque est hepar, neque cor, vel ullum aliud viscus, sed ipse sanguis, et omnia viscera, per quae circulatur et depuratur.

THES. XXI. Et tempus sanguificationis consequenter est continuum, adeo, ut non uno vel altero circuitu, sed continuo demum quaedam partes chylofae in sanguis.

sangvinem transmutentur, reliquae vero in nutrimentum partium abeant.

THES. XXII. Ea sangvinis circulatio nihil aliud est, quam propulsio ejus a corde per arterias ad omnes corporis partes, et redditus a partibus per venas ad cor.

Sangvinis
circulatio.

Ejus organa.

THES. XXIII. Propellitur sangvis per motum cordis, et arteriarum dilatatorium et constrictorium, διάσολην & σύσολην, quando beneficio structurae fuae mechanicae, et succi aetherei elastici, fibris ipsarum motricibus inclusi et prementis, repetitis vicibus se dilatant, et in dilatione sangvinem recipiunt, mox vero se rursus constringunt, et sangvinem a tergo sequentem iterum propellunt, idque tandem, quamdiu vita hominis, quae unice in motu sangvinis et succi nervae consistit, perdurat.

Vsus ejus.

THES. XXIV. Mediante enim hoc motu non solum chylus cum sangvine intimius miscetur, et sangvis novus, uti diximus, continuo generatur, simulque purificatur, sed etiam omnis calor vitalis, nutritio, et augmentatio corporis efficitur. De caetero quidem mediante circulatione sangvinis etiam medicamenta ad universum corpus distribuuntur, impuritates non solum naturales, sed etiam praeter naturales, contagia, aliaeque causae morbificae, ejiciuntur, et in reditu per venas uti contagia, ita quoque medicamenta ad fontem sangvinis ducuntur.

Nutritio
quid?

THES. XXV. Nutritio siquidem corporis nihil aliud est, quam partium chylosarum et gelatinosarum sangvinis, mediante motu isto progressivo, in omnes corporis partes intima distributio, repositio, et assimilatio, vel implicatio.

Ejus mate-
ria.

THES. XXVI. Adeoque materia nutritionis sunt partes sangvinis chylosae, salinae, oleosae, getinosae, terreae,

terreae, quae pro textura partium varia ibidem in transitu recipiuntur, ulterius digeruntur, implicantur, et sic modo in ossa, ungues, carnem etc. transmutantur.

THES. XXVII. Atque haec nutritio cum vita inchoatur, continuatur et terminatur: Cum enim haec non nisi in continuato motu partium solidarum et fluidarum consistat, fieri non potest, quin inter motus tales etiam partes quaedam nutrimenti rursus absumantur et dissipentur, indeque per continuam nutritionem restituendae.

THES. XXVIII. Eadem nutritio quoque augmentat corpus, saltem quod haec tantum ad tempus duret, quamdiu scilicet fibrae partium ad extensionem aptae existunt; Hinc augmentatur homo et crescit quoad longitudinem tantum ad annum usque vigesimum circiter, nutritio vero per omnem vitam durat.

THES. XXIX. His omnibus actionibus vitalibus maxime inservit respiratio, adeo, ut neutra earum sine ea extra uterum fieri queat. Ea est repetita dilatatio et constrictio thoracis, eaque mediante aeris intra pulmones receptio et exclusio, ubi aer, et cum eo effluvia eidem permista, non solum intra pulmones, sed intimius intra sanguinem admittuntur, eoque ipso motus intestinus et progressivus ejus conservatur, digestiones et depurationes omnes promoventur.

THES. XXX. Organa huic negotio destinata sunt partim activa, musculi sc. thoracis et diaphragmatis; partim passiva, pulmones cum trachaea sua. De quibus omnibus prolixius egimus in *Physica Experimentalis*, quae videatur.

CAP. II.

DE

FVNCTIONIBVS GENITALIBVS.

D

THES.

THES. I.

Generatio
in genere:
quid?

ETiam si homo, aequa ac alia animalia, continuo nutritur et instauretur, tandem tamen, ob motus intestinos perpetuos, partes tam solidae, quam fluidae, sensim marcescunt, flaccescunt, et absumentur: Eoque fine Creator sapientissimus iisdem quoque organa peculiaria dedit, mediantibus quibus se multiplicare, suamque speciem conservare possunt; quas functio dicitur generatio.

Eius requisita.

THES. II. Ea que consistit (1) in conceptione hominis, (2) in concepti novi embryonis formatione et nutritione, (3) in perfecte formati et nutriti foetus exclusione.

Conceptio
quid?

THES. III. Conceptio fit, quando per conjunctionem organorum genitalium maris et faeminae semina ipsorum intime miscentur, et mediante ista unione non solum novus motus in ovo faemineo, sed etiam nova anima humana producitur.

Locus con-
ceptionis.

THES. IV. Talis unio sit in ovario faemineo, ubi pars subtilissima semenis maris in ovula matura, contagia instar, penetrat, novum in iis motum excitat, et mediante motu isto, stamina, jam tum in ovulo praesentia, dilatat, nutrit et auget.

Diversitas
sexus unde?

THES. V. Pro diversitate igitur staminum istorum modo concipitur faemella, modo mas; et si plura ova la matura simul faecundantur, etiam plures factus interdum simul concipientur et generantur.

Formatio
factus.

THES. VI. Ovula ista faecundata ob motum novum, in iis excitarum, statim extenduntur magis et augmentur, unde, licet fibrillis ovarii suis arctius connexa, tamen quinto, vel sexto circiter die in homine, a vinculis ipsis liberantur, liberata per motum ovariorum constrictorum in ovi ductus, hinc in uterum propelluntur, ibidemque ad ulteriore factus nutritionem et augmentationem conservantur.

THES.

THES. VII. In utero quidem per aliquot dies ovum faecundatum liberum existit, et proprio succo interno nutritur, donec explicatis magis fibris tunicae suae externis, uteri sinibus et anfractibus arctius se implicat, atque sic placentam uterinam sibi e propriis staminibus fabricat.

THES. VIII. Quamprimum vero mediante hac placenta utero firmiter cohaeret, per eandem quoque arteriis matris succum chylosum pro nutrimento suo haurit, eumque per venas umbilicales ad foetum ulterius nutriendum et perficiendum derivat.

THES. IX. Facta sc. conceptione in ovario, et ovulo uno vel altero faccundato, per tubas Fallopianas, seu oviductus ad uterus propulsio, ibidem eo fortius continuatur motus intestinus in ovo, quo mediante stamina ipsa primaeva sensim extenduntur, evolvuntur, et in majorem molem augmentantur: Licet enim ovum faecundatum primis diebus utero materno nondum cohaereat, neque vasa umbilicalia adsint, foetus tamen tamdiu proprio suo nutrimento, in ovulis jam praesente, nutritur, uti in ovulis avium, aliorumque animalium, etiam extra uterus repositorum videmus. Ex quibus etiam appareat, quod formatio foetus nihil aliud sit, quam nutritio, et vice versa nutritio ipsa formatio.

THES. X. Post mensem tertium gestationis, perfecte formata placenta ac funiculo umbilicali, foetus manifestius quoque augetur, indeque motus ejus a gravidis post mensem quartum demum percipitur. Hoc etiam tempore incipit mediante ore liquorem animi haurire, donec circa finem mensis noni et principium decimi debitam magnitudinem acquirat.

THES. XI. Tum temporis satis nutritus et augm-
tatus fortius se movet, calcirat, eoque ipso membra-

nas suas investientes non solum distendit, sed etiam placentam uterinam ab utero sensim separat, et sic versus uteri orificio magis magisque inclinat, donec, concitato majori affluxu humorum, fibrae ejusdem elasticæ ob pressuram et stimulationem se extendunt, movent, et sic foetum sibi molestum expellunt; aequa ac vesica urinam, et intestina faeces sibi molestas excludunt. De quibus prolixius legantur *Praecepta nostra Physica*.

CAP. III.

DE FVNCTIONIBVS ANIMALIBVS
ET IN SPECIE DE SENSATIONIBVS.

THES. I.

Functio-
nates
animales
quid et
quotupli-
ces?

Sensatio.

Ratio for-
malis et re-
quisita sen-
tationis.

Non compe-
tit brutis
perfecta.

FVNctiones animales dicebantur motiones, quae non per se ad vitam, sed animalitatem faciunt, indeque solis animalibus competit. Suntque sensus et motus localis.

THES. II. Sensatio animalis est motus spiritus animalis, ab attactu organi sensorii excitatus, per nervos versus cerebrum promotus, ibidemque a mente perceptus.

THES. III. Tria sc. ad omnem sensationem animalem requiruntur: (1) attactus et pressio organi sensorii, ab objecto quoconque corporeo factus, (2) spiritus istius animalis, in organo sensorio habitantis, versus cerebrum commotio et agitatio, et (3) ipsius motionis a mente humana perceptio. Sentire enim est agere, et scire se sentire; quae actio nulli principio materiali, sed menti solum competit.

THES. IV. Et exinde apparet, quod animalibus brutis tantum duo priora requisita competant, quoniam principio immateriali et spirituali agente carent. Ergo bruta non perfecte sentiunt. Vid. *Physic. Experim.*

THES.

THES. V. Quoniam vero objecta sensibilia admodum variant, ideo quoque opus erat organis sensoriis sensuum. variis, ijsdemque externis et internis. Hinc etiam sensus omnes distingvuntur in externos et internos: Illi sunt quinque in homine: Visus, auditus, gustus, tactus et olfactus; Hi sensus communis, phantasia et memoria.

THES. VI. Inter externos sensus praecipuus et re- tactus. liquis communis est tactus, commotio nimirum organi tactus, et in eo spiritus animalis, ab objecto corporeo figurato facta, hinc per nervos ad cerebrum propagata, ibidemque a mente percepta.

THES. VII. Organon ergo primarium, ut omnium sensuum, ita etiam tactus, est cerebrum, sed radicale et adaequatum est cutis, per universam corporis peripheriam extensa et expansa. Sine cute nullus fit tactus perfectus.

THES. VIII. Objecta etiam, quae sensum tactus ex-objecta citare possunt, sunt tantum corpora, eaque tam crassa, ut fibras et papillas cutis attingere, premere, et sufficienter movere queant. Atomi vero et particulae aetherae propter subtilitatem potius poros cutis trans-eunt, indeque tactu percipi nequeunt.

THES. IX. Et quoniam objecta ista tactus pro di-Tactus species versitate figurae et impulsus admodum variant, oritur cies. quoque tactus alius gratus, alius ingratus; hic in specie dolor dicitur.

THES. X. Dolor autem nihil aliud est, quam tristis Dolor quid? sensatio ipsius mentis in tactu, a motione organi tactus inclemetiori inductus.

THES. XI. Pariter tactus species est gustus, sed ab Gustus. objecto tantum salino in lingua excitatus, deinde per nervos gustatorios ad cerebrum promotus, ibidemque a mente perceptus.

30 CAP. III. DE SENSATIONIBVS ANIMALIBVS.

Ejus organon.

THES. XII. Ejus organon speciale est lingva, et in ea tunica nervea, papillis nerveis tenerimis instructa; Sine lingva nullus datur gustus perfectus.

Objectum.

THES. XIII. Et objectum sunt tantum corpora saliva in ore solubilia, eoque ipso in papillas nerveas penetrantia.

Olfactus.

THES. XIV. Ita olfactus est tactus specialis in naribus, ab effluviis salinis et sulphureis volatilibus excitatus, indeque versus cerebrum propagatus, ibidemque a mente, qualis sit, perceptus.

Organon.

THES. XV. Ejus ergo organon sunt nares, et in specie papillae nerveae, in tunica earum interiori reperiundae.

Objectum.

THES. XVI. Olfactu percipiuntur tantum effluvia salina et sulphurea subtilissima, quae cum aere miscerri, evolare, et intra narium tubulos intime penetrare queunt.

Auditus.

THES. XVII. Non minus auditus tactus quidam est a fono in auribus excitatus, indeque versus cerebrum propagatus et ibidem perceptus.

Organon.

THES. XVIII. Hujusque organon adaequatum est tota auris externa et interna, et in ea nervus auditorius expansus, tanquam primarium organon.

Objectum.

THES. XIX. Objectum vero est tantum sonus, sive collisio aeris, a qua commovetur membrana tympani, et ossicula, eidem connexa, atque sic motio ista per nervum auditorium ad cerebrum usque promovetur.

Vitus quid?

THES. XX. Tandem quoque visus est tactus peculiaris, in oculis ab objecto visibili, nimirum luce, ibidem excitatus, et sic per nervum opticum in cerebrum propagatus.

Organon.

THES. XXI. Hujus organon est oculus, instar fere camerae obscurae constructus, et in eo praecipue tunica

ca

ea retina; in qua objectum visibile figuratum fistitur et depingitur, eoque ipso motus spiritus animalis versus cerebrum traducitur, et ibidem a mente percipitur.

THES. XXII. Illud objectum visibile unicum est lux, Objectum et omne corpus lucidum, ad quae etiam omnia colorata pertinent.

THES. XXIII. Sed motiones istae, in organis factae, et ad cerebrum promotae, non statim cessant, vel evanescent, quin potius aliquandiu in cerebro continuantur, imo repetuntur et multiplicantur, quae proinde vocantur sensations internae; suntque sensus communis, phantasia et memoria, gradu tantum inter se distinctae.

THES. XXIV. Sensus communis est motionis istius, Sensus communis in omnibus organis sensoriis externis excitatae et ad cerebrum traductae, primus allapsus, et tanquam in centro concursus.

THES. XXV. Idem motus, quando ibidem in cerebro adhuc aliquandiu intra nervorum tramites continuatur, dicitur phantasia.

THES. XXVI. Idem quoque motus, ab objecto quo cunque ibidem inductus, cessat quidem tandem, sed a mente, vel objectis sensibilibus praefentibus repetitus, dicitur memoria, illa rationalis, haec sensualis. Vid. Physica nostra Experim.

CAP. IV.

DE

MOTIONIBVS ANIMALIBVS.

THES. I.

Motiones, uti notum, in genere sunt translationes corporum ex uno loco in alium; sed animalis, quae sois animalibus, et in specie quoque homini competit, fit tantum mediantibus organis animalibus, mechanice con-

constructis, qua vel totum corpus, vel solum partes eius juxta sensum impulsu, aut solius mentis arbitrium, de loco in locum transferuntur. Quo ipso tales a reliquis motionibus vitalibus distingvuntur.

**Earum or-
gana.**

THES. II. Organa ergo, quibus motiones tales peraguntur, sunt tantum partes corporis animalis, machinularum mechanicarum instar artificiosissime constructae et contextae, nimurum fibrae, membranae, musculi et articuli.

**Causa pro-
xima.**

THES. III. Illa autem organa quoniam sua sponte se movere nequeunt, ab alio quodam principio impellente moveri debent, id quod est spiritus animalis, aura aeræ et elastica, fibris, membranis, et muscularis artissime inclusa.

Remotiores.

THES. IV. Hic autem spiritus non minus materialis, ac proinde mere passivus, opus adhuc habet alio principio movente et impellente, quod sunt objecta extrinseca sensibilia, quae organa sensoria attingunt, et in illis simul spiritum istum movent, et impellunt; In homine tamen etiam sola mens eundem movet.

**Differentia
ratione cau-
sae move-
tis.**

THES. V. Inde oritur differentia harum motionum in animales, et in specie rationales vel voluntarias dictas: Illae etiam in brutis fiunt, et a nudo sensuum motu dependent; Hae vero solis hominibus debentur, quia ab animae rationalis arbitrio et voluntate diriguntur.

**Ratione
modi.**

THES. VI. De caetero omnes istae motiones ratione modi, quo peraguntur, sunt vel contractoriae, dilatatoriae, peristalticae, progressivae, vel tonicae.

**Motus con-
tractionis.**

THES. VII. Motus contractorius fit, quando fibrae muscularum transversales a succo nervorum elasticis magis replentur et premuntur, quo facto fibrae earum longitudinales lege structurae mechanicae statim strinquentur, et sic versus sua capita contrahuntur.

THES.

THES. VIII. E contrario motus dilatationis fit, quando influxus, vel impulsus succi elasticus in hos musculos remittit, consequenter quoque fibrae istae longitudinales, lege texturae suae relaxantur rursus et resiliunt. Experimenta de his videantur in *Physica nostra experimentalis*.

p. 736. et seq.

Dilatatio-
nis.

THES. IX. Sic motus peristalticus Medicis vocatur, ubi fibrae, in hunc finem artificiosissime constructae, alternis vicibus constringuntur, rursusque dilatantur, uti in corde, arteriis, ventriculo et intestinis manifeste videmus.

THES. X. Per ejusmodi repetitas contractiones musculorum contrariorum in artibus articuli ossium modo flectuntur, modo rursus dilatantur, eoque ipso, interveniente quadam trusione et rotatione, totum corpus et partes ejus de loco in locum transferuntur.

Progreffi-
vus.

THES. XI. Tandem motus tonicus fit, quando succus ille elasticus in omnes fibrarum, etiam contrariarum dimensiones aequaliter impellitur, easdemque fibras simul non solum extendit, sed in illa extensione quoque diu conservat.

Tonicus.

CAP. V. DE FVNCTIONVM ANIMALIVM AFFECTIONIBVS.

THES. I.

FVnctiones animales hactenus explicatae, sensationes et motiones in homine, etiamsi sano, non semper aequaliter exercentur, sed per vices certas sua sponte cessant, rursusque repetuntur. Quae vicissitudines somnum et vigilias efficiunt.

Affectiones
animales
quid?

E

THES.

Somnus.

THES. II. Somnus nimirum est naturalis remissio et cessatio omnium sensuum, tam internorum, quam externorum, nec non motionum animalium, ab influxu et expansione spiritus animalis in organa ista remittente, dependens.

Ejus ratio formalis.

THES. III. Notanter somnus dicitur naturalis et spontanea remissio, sive imminutio actionum animalium, ut distingvatur a praeternaturali imminutione, vel abolitione earum, uti fit in paralyysi, apoplexia, aliisque morbis soporosis; eaque omnium sensuum et motionum animalium, si nimirum somnus perfectus est. Nihil ergo obstat, quod in principio potissimum et fine somni, nec non interrupto eo, quidam sensus motusque fiant.

Causae.

THES. IV. Causa istius remissionis proxima est imminuta expansio spiritus animalis; eamque efficiunt varia: (1) imminutio ipsius spiritus per vigilias, labores et curas, (2) repletio pororum et fibrarum cerebri, per quas spiritus influere debent, eaque a roscida lympha per cibum potumque aucta, et cum sangvine per cerebrum circulata. Vnde fit, quod largiorem potum cibumque humectantem largior somnus sequatur: quod temperamenta phlegmatica in somnum procliviora sint. etc. (3) Quies corporis et animae, item solitudo, tenebrae, musica et alia, quaecunque quietem spirituum quoque modo promovere queunt; quemadmodum etiam plura alia somnum praeternaturalem et artificiale efficiunt, *de quibus in Pathologia*.

Vtus.

THES. V. Usus quoque somni est plane insignis, ut nimirum aura animalis, quae inter vigilias et labores maxime absuntur, per ejusmodi quietis intervalla gratissima eo melius restaurari, et hac ratione sensibus motibusque eo melius sufficere possit.

THES.

THES. VI. Fit autem, quod in somno minus perfecto, in primis in principio et fine ejus, nihilo secius sensus interni quodammodo exerceantur sive ob motus sensorios, inter vigilandum fortius impressos, eosque adhuc continuantes, sive ob humores inquietos, spiritum animalem turbantes, et sic phantasias variis occasionem praebentes, sive etiam ab anima ipsa inquieta tales suppeditentur; Quae phantasiae sunt imperfecti et confusi sensus interni insomnia dicuntur.

THES. VII. Haec pro diversitate causarum, quae illorum differentiae. tales excitant, in insomnia animalia, naturalia, et mentalia, seu spiritualia distinguntur.

THES. VIII. Animalia insomnia in specie dicuntur, ^{Animalia.} quae in omnibus animalibus, etiam brutorum, imperfecte dormientibus, contingunt, et a motibus sensoriis, inter vigilandum fortius impressis, ac in somno adhuc continuantibus, dependent; Ita non solum homo saepe actiones suas de die gestas, in somno repetit, perorat, carmina pangit, saltat, rixatur, ludit etc. sed etiam bruta e.g. canes venatici feras insectantur, latrant, et sic porro.

THES. IX. Saepe etiam sola temperatura et dispositio humorum in somno spiritus agitando occasionem praebet, ut phantasiae, temperiei correspondentes, oriuntur. Ita sanguinei et cholerici insomnia frequentia deigne, et rebus ignitis; phlegmatici de aquosis et aquae submersionibus; febricitantes et sitientes de potu, esurientes de cibis gratis habent.

THES. X. Ab his insomniis in homine differunt ^{Mentalia.} mentalia, ubi mens inquieta, tanquam spiritus alias semper operosus, etiam in somno, et quiescentibus sensationibus, tam internis, quam externis, in se cogitat, et ea, quae antea inter vigilandum concepit, repetit, et sic,

36 CAP. VI. DE AFFECTIBVS SENVALIBVS.

licet ut plurimum confuse, et minus distincte, sensus internos, phantasiam et memoriam excitat.

Supernaturalia et spiritualia. THES. XI. Ab his tamen adhuc differunt insomnia supernaturalia et mere spiritualia, quando a Deo ipso, sive Angelis bonis, vel malis, menti inter dormiendum talia representantur, de quibus alias per se cogitare non poterat. Cujusmodi exempla non solum in Scriptura Sacra ubivis obvia sunt, sed quoque apud Plinium L. XXV. C. II. Corn. Tacit. L. IV. Valerium Maxim. L. VII. Bonett. in Med. Septentr. P. I. et II. et alibi leguntur.

vigiliae. THES. XII. Vigiliae vero sunt ipsissimum exercitium omnium actionum animalium, nempe sensuum, interiorum et exteriorum, nec non motuum animalium; de quibus per universam *Physiologiam* agitur.

CAP. VI.
DE AFFECTIBVS SENVALIBVS.

THES. I.

Animi pattemata seu Affectus quid? RESTANT adhuc affectus sensuales, hominibus quoque cum brutis animalibus communes, qui sunt fortes commotiones spiritus animalis, in organis sensoriis ab objectis sive gratis, sive ingratia excitati, quibus simul sanguis et omnes humorés vehementer alterantur, atque sic animal, et in specie homo, ad objectum illud amandum et amplectendum, vel fugiendum et rejicendum, aut solum admirandum, et attentius considerandum excitatur.

Forum spes cies. THES. II. Exinde oriuntur tres generales affectuum species, nimurum amor, odium et admiratio. Ad amorem deinde pertinent gaudium et spes; ad odium ira, tristitia, invidia, et desperatio.

Amor. THES. III. Amor est fortis commotio spiritus animalis, ea tamen grata et amica, ab objecto quoque grato et amabilē.

amabili inducta, qua animal, et in specie homo, ad illud objectum impetrandum et amplectendum concitatur, urgetur.

THES. IV. Amoris species est gaudium et laetitia, spiritus animalium ab objecto gratissimo fortissima commotio, qua tota machina animalis in jucundos gestus concitatur, oculi splendent, tota facies fit serena, os ridet, cor promptius pulsat etc.

THES. V. E contrario odium est motus spiritus animalis, ab objecto valde ingrato, vel contrario et noxio inductus, quo animal, et homo in specie, ad objectum illud declinandum, avertendum et fugiendum concitatur. Hinc quoque humores ejus varie alterantur et moventur, facies modo pallescit, modo rubescit, vel livescit, oculi modo obscuri modo sereni fiunt, artus tremunt, pulsus modo fortior, modo flegmior fit.

THES. VI. Ad hunc affectum spectat ira, praeceteris fortissima spirituum ab objecto ingratissimo, et plane contrario, commotio, qua humores omnes vehementissime moventur, facies modo rubescit, modo pallescit, flavescit, livescit, oculi modo splendent, modo obscurantur, labia et totum corpus tremunt, pulsus cordis et arteriarum muratur, atque sic tota machina animalis in variis, objecto isto resistendi, conatus urgetur.

THES. VII. Sic in tristitia quoque est commotio spiritus animalis ab objecto valde ingrato, sed tali inducta, quo animal non tam ad resistendum, quam fugiendum illud urgetur, unde humores omnes ad interiora quasi recedunt, cor langvidius pulsat, facies pallescit, livescit, oculi obscurantur, et animal solitudinem quaerit.

THES. VIII. Quando in homine deliberatio intercedit, qua alterum hominem bono quodam frui aegre fert, et ideo, sine ulla alia ratione, modo contristatur, modo

irascetur, eidem omnibus modis resistere et nocere co-natur, dicitur invidia, affectus revera malignus, diabolus, et hominem non decens.

Desperatio.

THES. IX. Ita quando ab objecto, sive bono, sive ma-lo, ita commovetur homo, ut non solum contristetur, sed etiam omni spe, sive bonum impetrandi, sive malum avertendi, abjecta, nulla consilia saniora admittit, quin potius in praesentanea pericula ruit. Dicitur in specie desperatio.

Admiratio.

THES. X. Tandem admiratio homini potissimum competens, est commotio spiritus animalis in organis sensoriis fortissima, ab objectis raris plane insvetis, admirabilibus, sive gratis, sive ingratiss, inducta, ubi quidem per se nihil appetitur, neque delinatur, homo tamen ita perturbatur, ut attonitus quasi stupescat, et nesciat, quid agat, sed unice in objecti istius insoliti contemplatione immobilis haereat.

CAP. VII.

DE

FVNCTIONIBVS RATIONALIBVS.

THES. I.

Functiones
rationales.

PRAETER haec tenus enumeratas functiones sensuales et animales, in homine etiam sunt functiones rationales, ab animae rationalis sive mentis arbitrio et directione dependentes. Quae sunt intellectus et voluntas, nec non risus et sermo.

Earum diffe-rentias.

THES. II. Harum priores, intellectum et voluntatem anima nostra sine omnibus organis, etiam extra corpus, et in statu separato, reliquas autem mediantibus certis organis perficit, ut risum et sermonem; Illae proinde dicuntur inorganicae, hae vero organicae.

Intellectus.

THES. III. Intellectus nimis est actio solius men-tis,

tis mere inorganicae qua in se, citra ullius organi subsidium, de rebus quibuscumque cogitat, et deliberat, unum ex alio colligit, cum altero confert bona a malis, vera a falsis, praesentia a praeteritis et futuris, natura-
lia a supernaturalibus distingvit.

THES. IV. Ita voluntas est ipissimum intellectus, sal-
tem quod anima intelligendo bona sibi grata simul
appetat, velit, et hominem ad acquirendum illud impel-
lat; Ea vero, quae ipsi contraria et noxia videntur, ab-
horret, rejicit, non vult, et ad avertenda illa disponit;
tunc dicitur noluntas.

THES. V. Ad actiones vero mentis organicas pertinet ri-
sus, actio solius quoque hominis, qua sc. mens nostra de
objectis gratis et jucundis in se laetatur et delectatur, su-
amque delectationem motibus et gestibus jucundis cor-
poris, potissimum faciei, exprimit, et aliis ostendit. Lae-
tantur quidem etiam bruta, suamque laetitiam gestibus
corporis variis exprimunt, sed sine judicio et cogitatio-
ne, unde etiam risus, proprie dictus, illis tribui nequit.

THES. VI. Risus contraria actio est fletus, actio rur-
sus solius hominis, qua mens ejus de objectis sibi valde in-
gratis et noxiis dolet, tristatur, suamque tristitiam et
anxietatem ingratis in facie motibus, et in specie lacry-
mis exprimit.

THES. VII. Lachrymae vero ipsae nihil aliud sunt,
quam serum in glandulis oculorum turgescens, median-
tibus animae commotionibus fortioribus, sive gratis, si-
ve ingratis, expressum.

THES. VIII. Ita quoque sermo, sive loquela est actio Loquela,
soli hominis itidem organica, qua omnia sua cogitata, Sermo.
intellecta et judicata articulatis non solum verbis, sed er-
iam integris sermonibus eadem significantibus, mediante
lingua, labiis, dentibus, aliisque organis exprimit, et aliis
intelli-

intelligentibus eo ipso manifestat et communicat. Id quod brutis rursus denegatum, licet lingva et organis, ad sermonem necessariis, plerisque gaudeant, tamen, ob defectum animae rationalis, nec cogitare, nec sentire, neque pathemata sua articulatis vocibus et sermonibus exprimere possunt.

CAP. VIII. DE SANITATE.

THES. I.

ATque sic comparata haec machina humana hydraulico-pneumatica, quamdiu talis, prout eandem habetens descripsimus, existit, suasque actiones rite et secundum naturam peragere potest, dicitur sana; Et sanitas ipsa nihil aliud est, quam ipsa constitutio naturalis omnium partium corporis solidarum et fluidarum, indeque dependens omnium actionum vitalium, genitalium, animalium et rationalium integritas.

THES. II. Ita sanitas directe opponitur morbo, ut potest qui in constitutione partium illarum praeternaturali consistit, uti mox e pathologia patebit. Neque opus est, ut status aliquis neuter, seu medius inter sanitatem et morbum fingatur: ubicunque vel minimus defectus in partibus solidis et fluidis occurrit, nec functiones omnes rite peragi queunt, ibi perfecta sanitas non habetur.

THES. III. Habet tamen sanitas etiam suos gradus et differentias, ratione actatum, temperamentorum, et sexuum; In aliis reperitur plus minus perfecta, totius corporis, vel solum partium quarundam, nobiliorum vel ignobiliorum. Nec quaevis laesio partium ignobiliorum statim aegritudinem efficit, sed illae tantum, quae functiones naturales manifeste laedunt, uti nunc e pathologia patebit.

Sanitas
quid?

Eius ratio
formalis.

Differentiae.



INSTITUTIONVM
MEDICARVM
PARS SECUNDA
IN QVA
CORPORIS HUMANI STATVS
PRAETER NATURALIS ET MORBO-
SVS IN GENERE DOCETVR.

CAPVT I.

DE MORBIS IN GENERE.

THES. I.

Quemadmodum adeo sanitas hominis in Morbus
constitutione partium corporis natura- quid?
li et legitima, earundemque functioni-
bus, seu actionibus naturalibus consiste-
bat, uti in Physiologia vidimus; Ita e
contrario morbus est constitutio parti-
um illarum praeternaturalis, a quibuscunque injuriis
inducta.

THES. II. Notanter dicitur morbus constitutio par- Ejus ratio
tium corporis, tam solidarum, quam fluidarum praeter- formalis.
naturalis, ut distingvatur a functionibus laesis, quas in
F specie

specie Symptomata vocamus; Ita enim eo clarius intellegitur, quomodo saepe ab uno eodemque morbo plures functiones simul laedantur, vel plurima symptomata orientur, et vicissim unum idemque symptoma a diversis admodum morbis, aliisque causis inducatur; quod in cura eorum maxime observandum, ne empyricorum more ab uno individuo ad aliud, et sine cognitione cause specialis curemus.

Subjectum.

THES. III. Subjectum igitur morborum et symptomatum, in quo tanquam accidentia haerent, sunt partes corporis humani viventis, tam essentiales, nimurum anima et corpus, quam integrales solidae et fluidae. Anima humana, quamdiu corpori suo unita, lege unionis istius intimae, non solum laesiones ejus percipit et compatitur, sed suas quoque passiones corpori communicat, uti e Pathologia speciali et in specie e Deliriis patet.

Quotplex.

THES. IV. Illudque subjectum deinde, in quo morbi et cause morbificae reperiuntur, aliud est proximum, aliud remotum vel remotissimum, item radicale aut formale. Ita e. g. Epilepsia, apoplexia, deliria et similes affectus quidem in cerebro generantur, eorum tamen radix non semper in cerebro, sed in ventriculo, utero, liene, aliisque visceribus reperitur.

Cause.

THES. V. Causae vero morborum et symptomatum sunt res, quaecunque animae et corpori, ejusdemdemque partibus solidis et fluidis noxam afferre queunt; Eaque rursus sunt admodum variae, internae vel externae, haereditariae, connatae, vel adscititiae, de quibus ut et symptomatibus deinceps seorsim.

Morborum**Differentiae.**

THES. VI. Atque pro diversitate causarum, subjectorum, graduum, temporum, quibus contingunt, nec non complicationum inter se, aliarumque circumstantiarum

rum interventientium ratione, tanta tamque innumera morborum series oritur, qui tamen doctrinae et memoriae causa commode certis classibus comprehenduntur; et quidem primum ratione essentiae illorum alii sunt et dicuntur morbi intemperiei, alii morbi conformatio-

nis et organici.

THES. VII. Intemperiei morbi fiunt, ubi tempera- Morbi in-
mentum, seu temperies naturalis et legitima, quam in temperiei.
Physiologia descripsimus, manifeste mutatur, alteratur,
imminuitur vel augetur, aliisque modis depravatur, unde dantur non solum morbi intemperiei calidae, frigidae,
humidae, vel siccae, secundum principia Aristotelica et
Hippocratica; sed etiam chimica, intemperiei sc. salinac
et sulphureae, acidae, austerae, falsae, amarae, tartare-
ae, volatilis, vel fixae, et ex his variis modis mixtae.

THES. VIII. Morbi intemperiei calidae sunt et Intemperiei
dicuntur, ubi in sangvine et reliquis humoribus corpo- calidae qua-
ris nostri partes salinac et sulphureae nimium excedunt,
abundant, reliquae vero temperatae deficiunt, unde
perpetua inquietudo et turbatio in humoribus istis, et
exinde pulsus auctus, febres, inflammations, vigiliae,
aliaque innumera mala oriuntur.

THES. IX. In intemperie vero frigida e contrario Intemperiei
partes salinac et sulphureae volatiles deficiunt, salinac frigidae
vero fixae acidae, austerae, tartareae, terreae, viscidae quales?
abundant, unde quoque humores isti nimis viscidii, crassi,
frigi, et exinde vasorum obstrunctiones, tumores,
cachexiae, aliaque mille mala oriuntur.

THES. X. Ita quoque intemperies secundum Chy- Intemperie
micorum principia explicatae fiunt, quando partes fa- salinac et
llinae et sulphureae in specie, et quidem volatiles, vel sulphureae.
fixae, eaeque acidae, austerae, falsae muriaticae etc. in
humoribus istis cumulantur et abundant, unde scorbu-

tus, omnesque affectus scorbutici, erosiones, exulcerationes, calculus, arthritis, podagra, tophi, aliaque innumera mala generantur.

Morbi organici seu conformatio-
nem.

THES. XI. Arque hi erant morbi intemperiei, in humoribus et succis corporis nostri primario reperiundi. Praeter illos vero etiam in partibus corporis solidis et organicis variae laesiones quoad magnitudinem, figuram, numerum, situm et connexionem earum contingunt, quae proinde in specie morbi organici et conformatio-
nem dicuntur.

quoad
Magnitudi-
nem.

THES. XII. Morbi magnitudinis auctae, vel immunitae fiant, quando partes quaecunque corporis solidae debitam et naturalem quantitatem excedunt, vel non attingunt; idque culpa formationis, vel aliarum injuriarum. Ita magnitudo aucta videtur in omnibus tumoribus, hydrocephalia, hydrope, anasarca, tympanitide, ascitide, et similibus; imminutae vero quantitatis debitae in atrophia, tabe et aliis.

Figuram.

THES. XIII. Ita laesiones quoad figuram videntur in omnibus conformatiōibus vitiosis, a nativitate vel aliunde contractis, in luxationibus, fracturis et distorsionibus membrorum et viscerum, tam internis, quam externis.

Numerum.

THES. XIV. In specie quoque in numero illarum partium excedente vel deficiente; ubi e. g. sex vel plures aut pauciores digiti in manibus pedibusque, plures vel pauciores testiculi, renes, et sic porro contingunt.

Situm et
connexionem.

THES. XV. Pariter quoad situm et connexionem partium illarum fiant in omnibus vulneribus, ulceribus, luxationibus, fracturis, herniis, contracturis, imperforatione aurium, ani, uteri etc.

Morborum
differentiae
accidentales.

THES. XVI. Sed praeter has differentias morborum essentiales adhuc observandum, quod ratione acciden-

cidentium diversorum morbi admodum varient, cum alii sint acuti, alii chronici, benigni vel maligni, contagiosi vel non contagiosi, magni vel parvi, epidemicci, sporadici et endemici, haereditarii, connati, et post nativitatem adscititi; morbi item vernales, aestivales, autunnales et hyemales, simplices et compositi, universales et particulares, idiopathici et sympathici, congrui et incongrui, lethales et non lethales; quorum omnium notitia tam ad prognosin, quam curationem eorum rite instituendani, maxime requiritur.

THES. XVII. Ita morbi acuti sunt et dicuntur, qui propter causas admodum operosas et violentas hominem subito invadunt, cito progrediuntur, febrem coniunctam habent, et intra paucos dies ad salutem vel mortem tendunt. Habent tamen etiam suos gradus, quorum respectu alii acuti simpliciter tales intra dies quatuordecim circiter, alii peracuti intra dies undecim, et extreme acuti intra septem dies terminantur; quales sunt pestis, febres continuae, inflammatoriae, exanthematicae. Reliqui omnes, qui diutius durant, nec certum terminum habent, chronicci vocantur.

THES. XVIII. Ab his etiam adhuc distingvendi sunt morbi magni in specie dicti, qui quidem magnum vitae periculum habent, tamen sine febre conjuncta, et difficulter, vel plane non curari possunt; idque vel ob gravitatem caufae laedentis, vel partis nobilioris laesio-nem, uti videmus in apoplexia, epilepsia, iliaca, vulne-ribus et ulceribus cerebri, aliorumque viscerum nobiliorum. In quibus haec deficiunt, parvi et minus periculosi audiunt.

THES. XIX. Ita morbi benigni illi vocantur, qui a causis levioribus oriuntur, partes nobiliores non afficiunt, nec gravia symptomata efficiunt, indeque faciliter.

us curantur; sed maligni et mali moris sunt, qui ob causas admodum subtiles, operosas et vix sensibiles clanculum, absque indicis manifestis, aegros invadunt, et gravissima symptomata subito inducunt.

Contagiosi.

THES. XX. Contagiosi porro morbi sunt et dicuntur illi, qui miasmata seu effluvia maligna contagiosa de se spargunt, aerem vicinum, vestimenta et stragula, aliaque inquinant, et sic eundem specie morbum in alios vicinos, etiam exacte sanos traducunt. Quemadmodum contagium ipsum est miasma illud valde operosum et volatile, quod per transpirationem aliasque excretiones, sive naturales, sive praeter naturales, ab aegris exit, et aeri non solum facile se unit, sed eodem mediante etiam aliis rebus quibuscumque, imprimis porosis, laxis cohaeret, et sic in alios transit; uti de peste, variolis, morbillis, petechiis, dysenteria, lue venerea, aliisque notum.

Epidemici.

THES. XXI. Hinc dantur quoque morbi epidemici, qui ejusmodi effluvia maligna de se spargunt, aerem et alias res, omnibus communes, inficiunt, et sic totum populum promiscue, aut tamen plures, ad contagium illud recipiendum magis aptos, invadunt, qui in specie sporadici vocantur.

Sporadici.

THES. XXII. Endemii vero in specie illi vocantur, qui ob speciales et domesticas causas, sive in aere, aquis, alimentis, vitae genere aliisque haerentes, certo cuidam populo prae caeteris communes et quasi proprii observantur; uti de morbo Hungarico, sudore Anglico, rachitide Anglicana, plica Polonica, aliisque notum.

Morbi ver-
nalia, aesti-
valia etc.

THES. XXIII. Ita ob temporum aerisque mutaciones solennes quidam morbi tempore vernali, alii aestivali, autumnali, vel hyemali magis affligunt. Qualia sunt tempora, tales etiam sunt morbi et constitutions

nes ex ipsis; Et naturarum quaedam ad aequalitatem, quae-dam ad hyemem bene vel male se habent, ut et morbo-rum alii ad alia tempora. Confer. *Hippocrates S. III. Aphor. XI. XXI. XXII.* Quae certe mutationes si bene ob-servantur, multi profecto morbi praecaveri possunt.

THES. XXIV. De caetero etiam dantur morbi idio-pathici et sympathici, per essentiam et consensum ta-^{Idiopathici et sympathici.} les. Illorum causae in ipsa parte affecta haerent, in qua morbus percipitur, horum vero causae ab aliis parti-bus, sive ob vicinitatem et connexionem, sive per com-munia vasa circulantia et commercium humorum com-municant et foventur. Ita apoplexia, epilepsia, de-liria, et alii morbi capitis et cerebri non semper ipsius, sed aliarum partium et viscerum, e. g. ventriculi, inte-stinorum, uteri, lienis, aliorumque viscerum culpa fiunt; et vice versa haec etiam cerebri culpa patientur, quae omnia, nisi a Medico accurate judicantur et distingvun-tur, nunquam radicitus curabuntur.

THES. XXV. Pariter notari meretur distinctio in-^{Congrui et incongrui.} ter morbos congruos et incongruos: Illi dicuntur, qui temperamento, aetati et sexui magis sicut et familiares, hi vero minus tales observantur. Vsum hoc potissimum habet in judicio diagnostico et prognostico morborum; Incongrui enim semper graviorem errorem in diaeta vel aliis praesupponunt, adeoque plus periculi habent, quam congrui, indeque difficilius curantur, e. g. febres arden-tes, inflammations in senibus, apoplexia in pueris et juvenibus, epilepsia in adultis etc.

THES. XXVI. Ita contingunt morbi, qui solum Legitimi et mentiuntur certam speciem eorum, non tamen eorum nothi. requisita genuina habent, qui propterea nothi, illegiti-mi et spurii tales dicuntur, ut a genuinis et exquisitis distin-

distingvantur. Sic datur teriana notha, pleuritis spuria, angina notha, et sic porro.

Continui et periodici.

THES. XXVII. Alii etiam a primo invasionis momento usque ad totalem sui remissionem perdurant, qui propterea continui et continentes vocantur. Alii vero per intervalla, sive certa, sive incerta redeunt, et periodici dicuntur.

Lethales per se

et

per accidens.

THES. XXVIII. Tandem alii sunt lethales, et quidem vel absolute, vel respective et per accidens tales. Absolute lethales illi tantum sunt, qui ob gravitatem causae et summum gradum laesiorum, in omnibus subjectis mortem inferunt, nec unquam curari possunt. Alii vero non per se, sed per accidens solum, ob debilitatem naturae aegrotantis, defectum curae necessariae, aliasque errores deum lethales fiunt. Ita fiunt vulnera, in quibus organa vitalia, ad vitae continuationem absolute necessaria, adeo laeduntur, ut nulla prorsus arte, nulloque modo restituiqueant. Quae omnia in Pathologia speciali exemplis illustrantur et confirmantur.

CAP. II.

DE

SYMPTOMATIS EORUNDENMQVE DIFFERENTIIS IN GENERE

THES. I.

Symptomata quid?
Quemadmodum morbi erant constitutiones partium corporis humani, tam fluidarum, quam solidarum, praeter naturales, ita symptomata, ad differentiam illorum, merito dicuntur functiones, vel actiones laesae, a constitutione praeter naturali partium illarum immediate dependentes. Sic e.g. a sola intemperie ventriculi, sive calida, sive frigida, plures ejus functiones simul

laeduntur, et sic ex uno eodemque fonte quamplurima symptomata, anorexia, apepsia, cardialgia, diarraea, colica, asthma, cephalalgia, aliaque promanant; quae si a Medico bene observantur, unica saepius opera et medicina pluribus malis mederi potest.

THES. II. Omnes autem laesiones functionum consistunt in earum imminutione, vel totali abolitione, aut etiam auctione et depravatione; unde dantur symptomata actionis imminutae, vel abolitae, auctae et depravatae; Et quoniam actiones omnes vel ad vitam in specie, vel ad propagationem et multiplicationem generis humani, vel solum ad animalitatem, aut tandem operationes ejus mentales pertinent, ideoque etiam tot symptomata, nimirum vitalia, genitalia, animalia et mentalia, aut ex his mixta habentur.

THES. III. Symptomata functionum, ad vitae conservationem pertinentium, sunt dysorexia et anorexia, dispepsia et apepsia, bulimia, sitis nimia, vel abolita, vomito, diarrhaeae, obstruktiones alvi, itemque chylificatione, sanguificatio, sanguinis circulatio, ejusdemque depuratio, corporis nutritio, augmentatio et respiratio imminutae, abolitae vel depravatae.

THES. IV. Ita dysorexia et apepsia est appetitus ciborum, admodum imminutus, aut plane abolitus, a ventriculi variis morbis oriundus.

THES. V. Dispepsia vero et adipepsia est ciborum assumptorum prava, vel plane nulla digestio, ab ipsius quoque ventriculi, ejusdemque menstrui et aliarum partium adjuvantium laesione dependens.

THES. VI. E contrario etiam appetitus interdum nimis augetur et depravatur, adeo, ut aegri isti cibis vix ac ne vix satiari queant, ob menstruum ventriculi nimis auctum et acre; Vnde bulimia, et si vomitus ciborum

Quotuplicia.

Influx. 218

Inappetentia.

Digestio ciborum laesa.

Bulimia.

G. assumentur.

assumptorum accedit, appetentia canina appellatur, quoniam, canum more, cibum avide devoratum et semi-coctum rursus evomunt.

Pica et malacia. THES. VII. Rursus alii cibos non solum ordinarios, sed esui alias plane ineptos, cretam, calcem, carbones, carnes crudas, araneas, excrementa narium, aliaque absurdarum appetunt et devorant, ob menstruum ventriculi non solum corruptum acre, sed phantasiani quoque et rationem simul depravatam; Vnde hic affectus etiam ad deliria pertinet, et malacia, vel pica appellatur. Contingit potissimum cacheeticis, hypochondriacis.

Sitis austata et abolita. THES. VIII. Desiderium vero potus, seu sitis nimium augetur, quando falsedo, acrimonia et caliditas in corpore excedunt, humiditas vero blanda deficit; unde febricitantibus, scorbuticis et siccoribus familiaris est, et, uti notum, a cibis falsis exsiccantibus augetur; In aliis e contrario plane deficit, sive ob partes salinas deficientes, aut solum ab humoribus viscidis acidis suppressas et involutas. Interdum stimulus sitis licet praefens, tamen a mente delirante non percipitur.

Chylificatione imminentia et depravata. THES. IX. Porro digestio ipsa ciborum in ventriculo et intestinis multis modis imminuitur, aboletur et depravatur, quando cibi, licet optimi, assumpti, minus recte digeruntur, et crudi plane relinquuntur, aut in eruditates viscidas, acidas, putridas rediguntur; idque ob varios ventriculi et intestinalium viscerumque vicinorum adjuvantium morbos; uti fit in cacheeticis.

Diarhœae. THES. X. Quando a cibis ejusmodi male digestis ventriculus et intestina replentur et irritantur, oritur facile fluxus alvi, isque modo ferosus et aquosus, modo biliosus, plus minus acris fervidus, qui proinde in specie cholérica passio appellatur: Et quando intestina tenuia et crassa ab acrimonia excessiva eroduntur, oritur

Cholerica pallio.

tur plane fluxus cruentus et purulentus, cum continuo defidendi desiderio, seu tenesmo, qui dysenteria dicitur. Dysenteria.

THES. XI. Quando vero ventriculi et intestinorum tonus ab ipsorum morbis et symptomatibus ita debilitatur, ut cibi assumpti quidem quodammodo ibidem digerantur, a faecibus tamen et recrementis non liberantur, quinpotius semicocti, aut plane crudi, per alvum rursus excernuntur: vocantur haec mala lienteria et caeliaca passio. Lienteria et caeliaca passio.

THES. XII. E contrario contingit, quod, praesertim Alvi adstrio.
tibus licet faecibus alvinis, intestina tamen easdem expellere nequeant; idque vel culpa ipsorum intestinorum, quando e. g. in herniis prolabuntur, contorquentur, comprimitur, exsiccantur, aliasque morbos patiuntur; vel a causarum stimulantium defectu, aliasque vitiis bilis, succi pancreatici, lymphae intestinalis etc. Causes.

THES. XIII. Has in opere chylificationis laesiones sequuntur deinde symptomata, quae sanguinis generationem, circulationem, depurationem, deinde nutritionem et augmentationem corporis concernunt; inter quae primum et praecipuum est lipothymia, seu animi deliquium, ubi motus cordis et arteriarum, systole et dia-stole, ob culpam sanguinis deficientis, vel abundantis, itemque crassi, viscidii, flatulenti, veletiam ob ipsius cordis et vasorum circulantium laesiones plane sufflammatur et inhibetur; Quae sufflammatio si subito et in summo gradu contingit, syncope et asphyxia vocatur. Lipothymia. Syncope et asphyxia.

THES. XIV. Vbi vero a rebus quibuscumque ipsi molestis, e. g. sanguine ipso viscido, flatulento, acri-nimis copioso, item polypo, aliasque rebus praeternaturalibus, graviter irritatur, oritur motus ejus spasmadicus, quo sc. vehementius et frequentius, quam par est, se constringit et dilatatur, et palpitatio cordis appellatur. Palpitatio cordis.

Dyspnea
et Asthma.

THES. XV. Quando organa respirationis, nempe pulmones cum suis vasis, nec non musculi thoracis et diaphragmatis a rebus quibuscumque praeter naturam ita affliguntur, ut debito modo se constringere et dilatare nequeant, oritur asthma humidum, vel siccum, convulsivum, praecordiale etc. Quemadmodum etiam eadem organa respirationi dicata, si a rebus praeter naturalibus, humoribus acribus viscidis obruuntur, irritantur, tussim et raucedinem efficiunt.

Tussis et
Raucedo.

Haemorrhagiae.

THES. XVI. Non raro quoque ipse sanguis, sive ob copiam et turgescientiam, sive laesionem vasorum circulantium, advehentium et revehentium, in motu suo progressivo impeditus, extra vas a sua modo in naribus, utero, ano, aliisque locis erumpit et effunditur; idque critice saepius et cum euphoria, vel symptomatice, et cum damno aegri; quae eruptiones sanguinis proinde haemorrhagiae narium, uteri, ani, etc. dicuntur.

Diabetes.

THES. XVII. Sic serum recreementum sanguinis, per renes et reliquas vias urinarias quotidie et naturaliter evacuandum, modo nimis subito, et in nimia quantitate, idque crudum minus digestum, effunditur, ob serum ipsius sanguinis nimis salsum muriaticum acre, texturam ipsius destruens, et tubulos viarum istorum relaxans, qui subitanus et copiosus urinae transitus Diabetes vocatur.

Dysuria.
et iusdemque
species.

THES. XVIII. E contrario urina, in renibus licet secreta, tamen ob vias istas, ureteres nempe, vesicam et urachum, laefas, vel ipsius urinae nimis crassae culpa, difficulter, vel plane non excernitur, et vocatur dysuria in genere, sed habet haec suos quoque gradus; quando sc. urina cum ardore et guttatum exit, cum continuo insuper mingendi desiderio, stranguria; et quando nihil plane excerni potest, ischuria vera vocatur; ad differentiam

rentiam ischuriaæ nothæ, vel spuriae, ubi quidem etiam parum, vel nihil urinae excernitur, sed ob defectum in renibus nondum secretae.

THES. XIX. Non minus diaphorisis et sudatio, alias ^{sudatio laes.} naturalis, modo augetur nimium, modo imminuitur, aut plane aboletur: Augetur a salibus peregrinis, sanguinem ejusdemq; serum nimium fundentibus, et per poros cutis resolventibus, ut sit in scorbuto, heftica, febribus malignis et similibus, adeo, ut saepe pinguedo totius corporis simul absuntur, et sudor colliquatus in specie dicitur; Interdum sudor ipse colorem peregrinum habet, et odorēm ingratum factum spirat. ^{salivatio} Vbi vero sanguis et reliqui humores nimis crassi, viscidī, acidi, aut etiam ^{laesa.} tex-tura cutis nimis densa, ibi plane nullus sudor, ne quidem medicamentis impetrari potest.

THES. XX. Pariter saliva, menstruum illud digesti-^{salivatio} onis ciborum utilissimum, saepius praeter solitum largi-gitter fluit, et quidem modo critice et cum euphoria ae-gri, modo symptomatico, ob copiam salis acris in scorbuticis, lue venerea affectis, hypochondriacis et simili-bus, lympham in omnibus locis glandulosis solven-tis, et versus fauces, prae ceteris glandulis copiosis gau-dentes, derivantis; Cujusmodi medicamentis salinis et mercurialibus etiam salivatio artificialis medica, uti notum, excitari potest. In aliis ob lymphæ defectum, vel nimiam visciditatem haec excretio naturalis plane deficit, indeque defectum saporis, chylificationis, aridi-tatem faucium, aliaqua mala inducit.

THES. XXI. Haec symptomata actionum vitalium sequuntur laesiones actionum genitalium, seu quae ne-gotium generationis et multiplicationis hominis con-cernunt; Quales sunt falacitas excedens et deficiens, ste-

rilitas in viris et faeminiis, gonorrhaeae, generatio lactis laesa, abortus et partus laesus.

Salacitas ex-
cedens et
deficiens.

THES. XXII. Ita dantur aegri, in quibus propensio in res venereas, seu coeundi desiderium, nimium excedit, vel plane deficit, utraque contra naturam; Excedit in utroque sexu ob copiam semenis acris, in organis genitalibus nimium turgescens et irritans; unde etiam in viris gonorrhœam, in faeminiis salivationem uterinam et fluorem album efficit. In aliis e contrario hic stimulus plane deficit, et sterilitatem seu impotentiam efficit.

Sterilitas.

THES. XXIII. Sic sterilitas in viris est impotentia faecundandi ovum muliebre, alias faecundum, et ad conceptionem aptum, ab organorum genitalium, et in iis seminis vitiis variis dependens. In faeminiis vero est impotentia foetum concipiendi et perficiendi, ab organorum genitalium, et in iisdem ovulorum constitutione laesa dependens. Causae harum laesiorum speciales, quoniam admodum variae, in Pathologia speciali videntur.

Abortio.

THES. XXIV. Huc pertinet abortio, quando foetus, licet conceptus, et aliquamdiu nutritus, tamen ante perfectionem debitam, et citius, quam par est, immaturus rejicitur et excluditur. Causae hujus rursus admodum variae sunt res, quaecunque foetus nutritionem et augmentationem impedire, eumque e sede sua turbare queunt.

Partus lae-
sus.

THES. XXV. Imo foetus licet satis perfectus et maturus, ob innumeratas causas, sive a parte matris nimis tenerae, imbecillis, morbosae, sive foetus prave siti, aut nimis magni, monstrosi, etc. vel utriusque saepe difficillimus imo impossibilis redditur, uti in Pathologia speciali haec prolixius docentur.

Lactis gene-
ratio laesa.

THES. XXVI. Et post generationem foetus porro quoque lactis, nutrimenti eius necessarii, generatio imminuit.

minuitur et depravatur, quando nimirum lac nullum, vel vitiosum, falsum, acidum, acre, viscidum generatur; idque vel humorum vel organorum, huic secretioni destinatorum, culpa varia.

THES. XXVII. Et haec erant symptomata generationis negotium concernentia. Haec sequuntur nunc symptomata actionum animalium, in quibus sensus motusque animales aequem multis modis laeduntur; Et quidem tactus, sensatio illa universalis, omnibus reliquis sensibus communis, non minus imminuitur, aboletur et depravatur; Iniminitur seorsim in stupore, quando ob influxum succi nervei inhibitum in partibus membranosis parum vel nihil percipitur, sive id culpa istarum partium, sive ab ipsis cerebri et succi nervae defectu fiat. Quando vero partes istae membranose et nerveae irritantur, vel licantur, aut plane vulnerantur, eo que ipso affluens succus ille elasticus in motu suo perturbatur, sursum deorsumque movetur, tunc in ipsa quoque mente tristis sensatio excitatur, quae fundamentum et ratio formalis omnium dolorum est; Neque enim cerebrum, neque membranae et nervi, sed sola mens sentit et dolet, uti e Phisiologia notum.

THES. XXVIII. Ita perro visus imminuitur in hebetudine, qua aegri ob varios oculorum morbos, sive tunicarum, sive humorum et nervorum opticorum, objecta, alias perspicua et visibilia, et in debita distantia collocata, tamen minus accurate videre queunt. Ejus hebetudinis species etiam est scotomia, ubi aegri quasi per nebulam omnia videre se conqueruntur; et nictalopia, quando ob easdem oculorum laesiones tantum die sereno, minus vero ingruente vespera vident; et coecitas totalis, ubi plane nihil videre queunt. Interdum tamen solam ob musculorum oculorum moventium laesionem, vel etiam situm humo-

Symptomata
actionum
animalium.

Tactus im-
minutus et
abolitus.

Dolorosus.

Imminuitur
membranose
et nerveae
irritantur
vel licantur
aut plane
vulnerantur
eo que ipso
affluens
succus ille
elasticus
in motu
suo
perturbatur
sursum
deorsum
que
movetur
tunc
in ipsa
quoque
mente
tristis
sensatio
excitatur
quae
fundamentum
et ratio
formalis
omnium
dolorum
est;

Neque enim
cerebrum,
neque mem-
branae et
nervi, sed
sola mens
sentit et
dolet, uti e
Phisiologia
notum.

Visio laeta.
Hebetudo
eius.

Scotomia.
Nictalopia
eius.

Coecitas.

humo-

Luscositas
et
visus pravus.

humoris crystallini pravum, distortis oculis videre co-guntur, qui proinde luscosi in specie dicuntur; Aliis ob-jecta plane inversa, duplicita, varieque colorata appa-rent, quorum rationes et causae speciales in Pathologia speciali videnda.

Auditus lae-sus.

Imminutus
abolitus in
surditate.

THES. XXIX. Pariter auditus imminuitur et abole-tur in *Sapinola* et surditate, ob vitia varia auris, tam in-ternae, quam externae; et quidem vel meatuum, mem-branularum, cavitum, ossiculorum et nervorum in ipsis. In aliis non aequa imminuitur, sed tantum turbatur et confunditur, uti sit in sibili, tinnitu et strepitu aurium.

Gustus et
olfactus lae-sus.

THES. XXX. Non minus sensus gustus et olfactus ob organorum, ipsis destinatorum, vitia varia laeditur, ut aegri objecta longe aliter, ac revera sunt, percipient. Vel etiam plane abolentur, si vitia illa graviora fuerint.

Sensuum in-
ternorum
laesiones.

THES. XXXI. His sensationibus externis laesis fac-i-le quoque laeduntur et in consensum trahuntur sensatio-nes internae, utpote quae nihil aliud sunt, quam illarum continuationes, vel repetitiones, utie Physiologia notum.

Imminuti-
ones et abi-
tiones in so-
mno et affe-
ctibus sopor-
ofosis.

Et quidem singulorum horum sensuum imminutiones et abolitiones contingunt maxime in affectibus soporosis, pro cerebri ipsius laesione plus minus gravi. Quando ve-ro sensus isti non tam abolentur, quam potius turbantur et confunduntur, ob motum succi nervei et spirituum intra cerebrum plane irregularem et tumultuarium,

Depravati-
nes
in deliriis.

mens simul in consensum trahitur, et objecta sensibilia ne quidem recte percipere, multo minus considerare et judicare potest; In quo ratio omnium deliriorum consistit; saltem quod pro diverso gradu laesionum in cerebro, nec non ob varia aegrorum pathemata mentalia, alii cum furore et saevitia, alii sine ea et potius cum tri-stitia aliisque absurdis cogitationibus, sermonibus, ge-stibus et actionibus delirent; uti suis locis prolixius de-monstramus.

CAP.

CAP. III.

DE

MORBORVM ET SYMPTOMATVM
CAVSIS EARVNDEMQUE DIFFERENTIIS
IN GENERE.

THES. I.

CAusae morbificae sunt res quaecunque, a quibus morbi et symptomata quoconque modo producuntur et dependent; Eaeque non minus, ac in aliis scientiis, secundum rem, circa quam versantur, distinguntur hic commode, primo respectu morborum ipsorum, quos producunt, in proximas et remotas, antecedentes et concomitantes, communes et proprias, per se et per accidens tales etc. Deinde ratione rerum ipsarum, a quibus oriuntur, in naturales, non naturales et praeter naturales.

THES. II. Sic causae morborum proximae et immediatae sunt et dicuntur, a quibus illi immediate dependent, quibus praesentibus statim quoque adsunt morbi. Ita a motu intestino et praeternaturali in sanguine immediate oriuntur febres; ab influxu succi nervei in organa sensuum et motionum impedito, apoplexia, ab influxu vero eiusdem impetuoso et tumultuario, epilepsia, et sic porro. Reliquae vero, a quibus illae dependent, dicuntur antecedentes, remotiores, vel remotissimae.

THES. III. Inter illas causas antecedentes quaedam ad huc alias antecedentes, sed adhuc in corpore latentes, solum excitant, et in actum deducunt, unde in specie causae procataractae dicuntur; quando e. g. ira, terror, aliaque animi patiemata, etiam si leviora, in cacoche- micis gravissimos saepe morbos excitant, eo quod in

H

illis

illis iam tum fomitem eorum inveniant, eundemq; in motum redigant, a quibus tamen alii nihil plane laeduntur.

Continen-
tes.

THES. IV. Ita causae continentis nobis dicuntur humores, in quibus formes aliorum morborum generatur et fovetur; quales sunt humores quicunque corporis nostri, in et e quibus, tanquam fonte, morbi et symptomata generantur, quibus etiam non correctis, aut sublati, neque morbi ipsi curari possunt.

Communes.

THES. V. Porro dantur res hominibus communes, et ad vitam conservandam necessariae; quales sunt aer, aqua, nec non alimenta et potulenta communia, quarum proinde culpa, si minus recte se habent, etiam plures simul et semel iisdem morbis et symptomatibus afficiuntur; ut videmus in morbis epidemiis, endemias et sporadicis, ad differentiam eorum, qui a rebus particularibus hominibus contingunt.

Per se et per
accidens ta-
tes.

THES. VI. Tandem quoque dantur res, quae duplicitate respectu per se et per accidens morbos diversos inducunt, e. g. aer et potus frigidus per se intemperiem frigidam, indeque oriunda symptomata varia, humores condensando, inspissando et coagulando inducit; sed per accidens etiam febribus, inflammationibus, aliisque malis occasionem praebet, transpirationem et circulationem humorum inhibendo. Ita vini generosi sc. vel etiam spiritus vini usus per se et suam naturam quidem calefacit, sed per accidens, tempore scilicet, mensura et modo minus decenti adhibitus etiam refrigerat, imo hydrozem inducit, quando ventriculi et reliquorum viscerum tonum debilitat, eoque ipso cruditates tales generat; quarum observatio in theoria et praxi omnino maxime necessaria et utilissima.

Classis II.
Causarum.

THES. VII. Atque haec erat classis causarum respectu morborum ipsorum; Hanc sequitur nunc altera

ter respectu rerum ipsarum facta; ubi rursus aliae dicebantur naturales, non-naturales et praeternaturales. Naturales scilicet res Medicis dicuntur Temperamentum, Ætas et Sexus hominum, utpote quae per naturam nobis competent et insunt; ad differentiam rerum non-naturalium, nimis aeris, cibi et potus, somni et vigiliarum etc. quae quidem per se quoque ad res naturales pertinent, tamen corpus non ingrediuntur, sed tantum ad conservationem eius faciunt.

THES. VIII. Nihilosecius tamen hae quoque ad Naturalium morborum causas eas quidem remotiores pertinent, sic dicta. Temperamentum enim sanguineum, licet optimum, propter copiam sanguinis sale volatili turgidi ad febres; cholericum, ob excessum partium salino-sulphurearum, ad affectus cholericos, phlegmaticos ad serofosos, aquofosos, melancholicum et mixtum ad morbos tales disponit.

THES. IX. Ita e rebus non-naturalibus sic dictis non-naturcent et morbos inducunt (1) aer minus purus, nimis calidus, frigidus, humidus vel siccus, crassus, falsus, aliisque qualitatibus heterogeneis imbutus; (2) cibus et potus non solum per se minus salubris, sed quantitate sive excedente, sive deficiente, aut tempore et modo minus convenienti assumptus, (3) somnus et vigiliae necessariae, (4) motus et quies debita, (5) animi pathemata, et (6) excretiones ac retentiones naturales, quando scilicet, uti toto die fit, modum excedunt.

THES. X. Tandem quoque seriem causarum morbificantium compleunt res praeternaturales dictae, nempe morbi ipsi, symptomata ipsa, earundemque causae quaecunque; Hinc dantur morbi morborum, et symptomata symptomatum, id est, morbi ex morbis, et symptomata ex aliis symptomatis oriunda. In specie vero

Cacochy-
mia.

vero notabiles sunt cacochemiae et cachexiae, flatus; calculi, vermes, contagia et venena.

Cachexiae.

THES. XI. Per cacochemiam intelligitur quaecunque humorum, nimirum sanguinis, lymphae, succi nervi, nutritii, aliorumque succorum dispositio prava, e.g. nimis salsa, acida, austera, tartarea, viscida, putrida, etc. a qua deinde tanquam fonte omnes morbi humorales oriuntur, foventur, augmentur et multiplicantur.

Flatus.

THES. XII. Ab eiusmodi cacochemiis oriuntur quoque cachexiae variae, quando succi isti vitiosi etiam partes solidas, viscera et vasa, in quibus continentur et moventur, simul inquinant et in consensum trahunt, eoque difficiliores semper eorum curas reddunt.

THES. XIII. Flatus vero nihil aliud sunt, quam habitat impuri salini et sulphurei, ex humoribus viscidis in visceribus obstruetis, per digestiones pravas, generati et collecti. Horum ergo omnium materia, ex qua generantur, semper sunt humores viscidii, partibus salinis et sulphureis heterogeneis referti; Causa efficiens est motus intestinus, et lucta partium illarum; et locus, ubi generantur et colliguntur, non solum sunt ventriculus et intestina, praeceteris quidem, propter recrementa ciborum varia, et cavitatem insigniorem magis apta, sed reliquae etiam cavitates, arteriae et venae, ipsum cor et cerebrum, ibidemque innumeros morbos et symptoma, cardialgiam, colicam, iliacam, palpitationes cordis, vertiginem, aurium tinnitus, aliaque mala excitant.

Calculi.

THES. XIV. Calculorum arenularum et tophorum materiam semper praebent partes saline, maximam partem acidæ, cum aliis partibus viscosis et terreis unitæ; Hae enim solae, propter figuram suam ramosam et hamosam, in tantam duritatem coire possunt. Generantur proinde potissimum quidem in viis urinariis, e scoriis

scorii et recrementis salinis ibidem confluentibus, sed etiam in aliis corporis partibus, ibidemque varios morbos et symptomata, curatu saepe impossibilia, inducunt.

THES. XV. Non minus vermes, animalcula insecta, *Vermes.*
e seminibus insectorum, medianibus alimentis accep-
tis, in corpore generata, aut aliis modis intromissa, va-
rios et multiplices morbos efficiunt. Reperiuntur enim
non solum in intestinis lumbrici, teniae, ascarides, sed
etiam aliae eorum species in cute, corde, capite, auri-
bus, naribus, renibus, ulceribus, aliisque corporis lo-
cis, uti e Pathologia speciali notum.

THES. XVI. Contagia vero sunt effluvia salina et *Contagia.*
sulphurea, valde operosa, vaporosa, et proinde mali-
gna, quae a corporibus morbos, vel morbis eiusmodi
contagiosis infectis, per transpirationem insensibilem,
nec non per sudorem, salivam, sputum, aliasque vias se-
cretorias exeunt, et mediante aere, vel etiam alimentis
in alios homines vicinos penetrant, atque instar fermenti peregrini in illis, etiam si adhuc sanis, eundem specie
morbum contagiosum producunt.

THES. XVII. Tandem huc quoque venena et vene- *Venena et*
ficia pertinent, quae, uti e physicis notum, sunt cor-
pora naturalia, per se quidem bona, sed tamen valde
operosa et activa, indeque in minima quantitate, si mi-
nus recte adhibentur, homini noxia. Habentur talia
in tribus regnis, minerali, vegetabili et animali: Imo
in homine ipso generantur; quorum alia erodendo vi-
scera, alia humores nimium resolvendo, et totam eo-
rum texturam destruendo, alia eosdem subito coagu-
lando, aliisque modis destruendo operantur et
nocent, uti suis locis plenius demon-
stramus.

INDEX RERVM.

A.			
Bortio	pag. 54	Contagia	46. 61
Admiratio	38	Corpus humanum	12
Affectiones animales	33	eiusque partes	12, 13, 14
Affectus in genere	36	D.	
Alvi adstrictio	51	Desperatio	38
Amor	96	Diabetes	52
Anatomia	5	Diarrhoea	50
Anima	11	Digestio ciborum laesa	49
Appetitus	20	Dolor	29
Auditus	30	Dysenteria	51
laesus	56	Dyspnoea	52
Augmentatio	25	Dysuria ejusque species	52
foetus	27	F.	
B.		Fibrae	12
Bilis	15	Flatus	60
Botanica	5	Fletus	39
Bulimia	49	Formatio foetus	26
C.		placentae uterinae	27
Cacochymia et Cachexia	60	Functiones in genere	20
Calculi	60	animales	28
Cartilagini	13	genitales	26
Causae morbificae earumdemque dif-		rationales	38
ferentiae	57. seqq.	vitales	20
Chirurgia	6	G.	
Cholerica passio	50	Gaudium	37
Chymus et chylus	14	Generatio	26
Chylisecretio et promotio	23	Glandulae	13
Chymia	6	Gustus	29
Chymificatio et chylificatio	22	H.	
imminuta, abolita etc.	50	Haemorrhagia	52
Conceptio	26	Humores	14
		Hygiene	5
		I. Inap-	

INDEX RERVM.

I.	L.	M.	N.	O.	P.	R.	S.
Inappetentia		49	Morbi lethales per se vel per accidentes		48		
Insomnia illorumque differentiarum		35.36	magni et periculosi		45		
Intellectus		38	organici		44		
Invidia		37	Mucus narium		17		
Ira		ib.	Musculi		13		
N.							
Lacrymae		39	Noluntas		59		
Laetis generatio laesa		54	Nutritio in genere		24		
Lienteria		51	foetus		27		
Lipothimia		51	O.				
Loquela		39	Odium		37		
Lympha eiusque species		15	Olfactus		30		
M.							
Medicina in genere		4	Origo Sectarum		6		
eiusque encomia		10	Offa		13		
obiectum et finis		9	P.				
origo et media inventio-			Palpitatio cordis		51		
nonis		6	Partus		27		
partes		4.5	laesus		54		
Membranae		12	Pathologia		5		
Memoria		31	Phantasia		31		
Motus animalis eiusque species		31.32.	Pharmacia		6		
		33	Physiologia		4		
Morbus in genere		41	Pica		7		
Morbi acuti et chronicci		45	R.				
benigni et maligni		45	Respiratio		25		
contagiosi		46	Risus		39		
congrui et incongrui		47	S.				
continui et periodici		48	Salacitas excedens etc.		54		
endemii		46	Saliva		35		
epidemici et sporadici		ib.	Salivatio laesa		53		
idiopathici et sympathici		47	Sanguis		15		
intemperieci		43	Sanguificatio		23		
legitimi et nothi		47	Sanguinis circulatio		24		
			Sanitas				

INDEX RERVM.

Sanitas	40	Syncope	51.
Se ^c tæ Medicorum	7.8.9	T.	
Semen	16	Tactus in genere	29
Semiotica	5	imminutus etc.	55
Sensatio	28	Temperament. eiusque species	18. sq.
Sensus communis	31	Therapia	5
Sensuum internorum laesiones	56	Trifititia	37
Sitis aucta	54	Tussis et raucedo	52
Somnus	34	V.	
Spiritus	16	Vasa	13
Sputum	17	Venena	61
Sterilitas	54	Vermes	ib.
Succus pancreaticus	15	Vigiliae	36
Sudor	17	Vifus in genere	30
Sudatio laesa	53	laefius eiusque species	55. 56
Symptomata in genere	48	Voluntas	39
animalia	55	Vrina	17.
genitalia	53		
vitalia	49		



Ung. V 125

ULB Halle
005 895 197

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimeters

Inches

Farbkarte #13

D. CHRISTIANI VATERI,
PATHOL. P. P. ET PHYS. PROVINC. SAXON.
NEC NON CONSIL. ET ARCHIATRI
ANHALTINI

INSTITUTIONES MEDICAE

IN GRATIAM ET VSVM
STUDIOSE JVVENTUTIS
SVCCINCTIS APHORISMIS
COMPREHENSÆ
ET
EXPERIMENTIS HODIERNIS PHYSICIS
MECHANICIS, ANATOMICIS ET
CHIMICIS
ILLVSTRATAE AC CONFIRMATAE

VITEMBERGAE
LITERIS AVGVSTI KÖBERSTEINII.
M DCC XXII.

